This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Asc. 1443 h

Dirckink

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

SECTIO INSTRUCTIVA.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. JOANNIS DIRCKINK S. J.

HOROLOGIUM RELIGIOSUM AUREUM

IN USUM

STUDIOSAE JUVENTUTIS,

SEU

THESAURUS RECTE VIVENDI FRUCTUOSEQUE STUDENDI REGULARUM ATQUE COPIA BENE ORANDI OPTIMARUM PIETATIS FORMULARUM, DENUO RESTITUTUM HISQUE ACCOMMODATUM TEMPORIBUS

AB

HENRICO OBERMAYER,
PRESBYTERO SECULARI.



CUM APPROBATIONE REVERENDISSIMI ILLUSTRISSIMI ORDINARII RATISBONENSIS.

RATISBONAE.
TYPIS AC SUMPTIBUS GEORGII JOSEPHI MANZ.
MDCCCLXVII.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

Dilectissimi Adolescentes studiosi!

Quem offero vobis libellum, non ex mea est, sed ex probata inclytaque fabrica jesuitica, opus vere aureum. *Horologium* est i. e. certum totius temporis fructuose studendi pieque precandi moderamen directivum; *religiosum* est, praecipuarum nempe relationum vos inter et Deum tam privatarum qum publicarum regulator diebus feriatis atque festivis;

Digitized by Google

et *vere aureum*, pretiosa nimirum decentiae, modestiae et urbanitatis fodina, inaestimabile pietatis et studii horreum, ditissimus pro ambitu suo arcto precum, methodorum ad rite suscipienda ss. Sacramenta, Litaniarum, Hymnorum etc. thesaurus, cujus frequenti ex usu ipsis his temporibus nonnisi fructus efflorescent uberrimi. Quod me considerantem hoc Horologium vobis, Adolescentes perdilecti, denuo restituere commovit, praesertim cum sit ipsa latinitas intellectu facilis et polita.

Ob majorem commoditatem melioremque applicationem vestram se-

Digitized by Google

ctionem instructivam sejunxi a sectione precativa, methodos audiendi s. Missam ob delectationem varietatis hymnis adauxi aptis e manuali precum G. Frid. Wiedemann, nonnullas adjeci orationes in honorem Sanctorum ex Missali romano, ex hymnis praestantiores selegi et magis usuales, de Congregatione tandem mariana et angelica ex libello: „Indulgentiarum essentia et usus a R. P. Maurel, Soc. Jesu, Padabornae 1863“ apta addidi pro studiosa juventute. Quae exigua solummodo opera mea fuit; plura adjicere aut commutare nefas duxi.

Digitized by Google

Accipite igitur, Adolescentes perdilecti, hunc flosculum aethereum, sugite ex eo animabus vestris rorem coelestem et mel divinum pro tempore et aeternitate, meque peccatorem Deo interdum commendate!

In castris Aciliis, festo Immaculatae Conceptionis B. Mariae V. 1865.

Restitutor.

Digitized by Google

Praefatio

R. P. Joannis Dirckink S. J.

ad

adolescentem studiosum.

De scopo et usu hujus Horologii seu libelli.

Vita tua, fili mi, via est, quam diu noctuque teris; at scisne, quo vadas? Dicam paucis: ad aeternitatem, eamque felicem vel infelicem. Sed quando? Dixi jam. Es in via, hac hora, hoc momento, quo isthaec legis, instar rapidissimi fluminis et fulminis properas, curris, volas ad aeternitatem. O longa aeternitas, quae semper incipit, nunquam desinit! O tempus breve, quod in ortu occidit, in adventu fugit! Et tamen

Digitized by Google

quid tempore pretiosus, si recte uti noveris, quid perniciosius, si male utaris? Mihi fidem non habes? — Roga Beatos, quanti facerent diem unum a Deo datum augendis meritis; damnatos interroga, quanti emerent horam unam concessam deflendis et abolendis peccatis! Crede mihi! Omnes hi, ut morem brevem reperirent, totum mundum amitterent; ut vel horam obtinerent, omne aurum ceu lutum, omne margaritum ceu vitrum vile abjicerent et conculcarent. Sed frustra omnia. Non poterit pretio vel breve tempus emi. Et tu, Adolescens, tempus illud inaestimabile, quam segniter et vage, quam oscitanter et vane, sine lege et ordine, sine modo et methodo impendis tanto cum dispendio! Erit, erit aliquando tem-

Digitized by Google

pus, quando tempus non erit amplius, cum serio, sed sero, tantam deplorabis jacturam, cum Job lamentans: „Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt et non viderunt bonum.“ (c. 9.) Id nè tibi accidat, ecce Horologium, parvum mole, non parvum, ut sperem, utilitate gratiae et gloriae tuae augendae constructum, et rotulis tum a me confectis, tum e P. Ottone Ladesou aliisque collectis concinatum, ut eodem in flore aetatis cum fructu utâre!

Usum illius scire aves? Iconem aspice sequentem et symbola illic adumbrata expende!

Horologium illud

I. indicat horam dormiendi et evigilandi, orandi et studendi, illo-

Digitized by Google

rumque methodum. Inspice et fac, quod indicat!

II. Non patitur moram, in motu est semper, in otio et quiete nunquam. Videne inquietem in rotis? Imitare, nam volat irrevocabile tempus!

III. Pulvis vel maxime obest Horologio; probe custodiendum est. Cave, ne libellum hunc obiter inspectum et cursim perlectum in angulum conjeceris, pulveribus obsitum, sed directione illius internum animae tuae horologium emunda et emenda crebrius. Praxes has quam saepissime perlege, memoriae sedulo imprime et in dies exerce! Atque ita a teneris stabili pietatis et ordinis methodo suaviter assuesces!

IV. Unctio prodest Horologio.

Digitized by Google

Ut pietatis et studii tui cursus sit expeditior, unctio expedit, imprimis unctio et gratia Spiritus Sancti, deinde fervens oratio, crebra ad Deum suspiratio, pia B. Mariae V., s. Angeli Custodis et ss. Patronorum tuorum invocatio. His remoras omnes et obices facile superabis.

V. Depressa levantur, elata premuntur pondera Horologii. Tu hinc disce, animum superbia elatum deprimere, pusillanimitate dejectum elevare; disce mentem proprio pondere ad terrena depressam in dies attolere ad coelestia per meditationem et examina, per orationem et suspiria!

VI. Cursus constantia servat, inconstantia perdit Horologium, nec minus et scientiae et virtutis pro-

Digitized by Google

fectum. Quare a teneris assuesce oblatis praxibus, et crede mihi, praecipuo Deum cultu, B. V. Mariam obsequio, Angelum tutelarem laetitia affeceris, et brevissimo vitae tuae curriculo ingentes thesaurorum coelestium cumulos pro aeternitate tibi comparâris.

Vale! et unum nonnunquam pium suspirium pro me in coelum emitte, salutis tuae ac profectus perquam studioso!

Digitized by Google

A. Horologium diuturnum decentiae, modestiae et urbanitatis.

I. Regulae generales.

1. Nihil agas, quod coram parente vel magistro non auderes; quia Deus omnia vidit, et Angelus Custos adstat!

2. Assuescas, ut nec solus, nec coram aliis ad ullam corporis partem, quae oculis exposita esse non solet, manum porrigas!

3. Ante omnia vites pravos socios vel etiam suspectos, lusus vetitos, loca prohibita et periculosa!

4. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; quod vero tibi fieri optas, et aliis facias!

5. Memento, te esse studiosum, quem decentia, modestia et urbanitas ornare vel maxime debet!

Digitized by Google

II. Regulae speciales.

a) Regulae conversationis.

1. Generatim et bene monet Ecclesiasticus: „Adolescens, loquere in *tua causa* vix; si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.“ (c. 32.)

2. Omnes homines, etiam plebeios, honorifice compella in tertia persona numeri pluralis et quidem vernacula lingua, nisi sit puerulus; viros autem honoratiores et matronas nunquam alloqueris non adjecto et subinde repetito titulo honoris v. g. Domine Patrue, Domine Magister, Reverende Domine Paroche, Domina amita, Domina Directrix etc.!

3. Semper caste loquere et verecunde, subturpiculas etiam metaphoras nunquam defer, nec in aurem alterius clam ingere, sic enim venenum animae afflas! Recte monet Apostolus: „Omnis immunditia, aut stultiloquium, aut scurrilitas non nominetur in vobis.“ (ad Ephes. c. 4.)

4. Noli velle mentiri omne menda-

Digitized by Google

cium! „Opprobrium enim nequam in homine mendacium (Eccles. c. 20) et „diabolus mendax est et pater mendacii“ (Joan. c. 8).

5. Inter loquendum ne leviter caput huc illucve move, sed rectum in anteriorem partem nonnihil inflexum tene!

6. Ne pedibus manibusve gesticulare, aut tympanotribam age, sed recta et quieta totius corporis compositione firmiter consiste!

7. Apud Majores et Superiores tuos non interrogatus ne loquere! Alloquentibus ne dorsum obverte! Locuturus consurge ac nudo capite paucis responde! Inter loquendum nec pileum ori admove, nec vultui praetende, neque prius caput tege vel consiste, quam facta sit tibi facultas!

8. Quos alloqueris, saliva ne consperge! Viros graves ne proxime accede, sed aliquo intervallo distans, oculis primo in eos modeste intentis et mox demissis, cum iis loquere vel audi, quid velint! Monentibus vero ob-

Digitized by Google

loqui vel interloqui, antequam sermonem absolverint, plane indecorum est.

9. Sputum ne longius, aut post humeros, aut in quemlibet cubiculi locum ejice, sed in latus, vultu nonnihil a praesentibus averso, et pede, si crassum est, mox obtere, in cubiculo vero conjicias in sputatorium!

10. Si quid narrare occeperit aliquis, non obtunde narranti, id te jam scire; ei rem non optime narranti, ne obnuta vel contra nicta, nec risu illude; multo minus dic: falleris, non ita se res habet!

11. Denique ungues palam resecare, vel dentibus demordere, ore vel naribus fistulare, dicta aliorum facta ve mimice imitari, vel oculos distorquere, inflare buccas, linguam exserere, stridere dentibus, tum puerilia sunt, tum urbanitati repugnantia.

b) Regulae pro schola.

1. Audito horae signo mentem collige!

2. Vitatis fabulis et clamoribus lectionem breviter relege et Magistri adventum quiete exspecta!

Digitized by Google

3. Magistro alterive viro honorato scholam ingresso, assurge, eique dic salutem!

4. Unacum Magistro te signo crucis munies et pie attenteque divinam gratiam implorabis!

5. Inter ipsam lectionem arrectis auribus omnia excipe, nihil minutum existima, pleraque memoriae manda, nonnulla in libellum refer, quae Magister notatu digniora judicarit!

6. Ad responsionem vel explicationem vocatus, modeste et distincte loquere, non altius clamans!

7. Dum pensum alterius corrigitur, attende, quid Magister laudet, quid vituperet, quid corrigat, et ex omnibus scriptionem tuam emenda non aliter, ac si pensum tuum legeretur!

8. In pensis per literas elaborandis ex aliorum schedis describere vel vetitis libris et scriptis uti, fraudatoris et furis est.

9. Jussa prompte facies, nec obmurmurando, nec difficultatem ullam verbo gestuve prae te ferendo!

Digitized by Google

10. Argumento difficiliore aut longiore dictato, aut etiam inflictis poenis, nunquam obmurmura, sed omnia tanquam a paterno animo, tuique profectus studiosissimo, profecta accipe!

11. Finitis lectionibus gratiisque Deo actis recta via domum petes!

c) Regulae ingressus per plateas.

1. Ingressus ne nimis concitatus sit, nec ita languidus et iners, ut humum pedibus verras!

2. Ne pedum plantis terram valde compulsa, id enim rusticum est!

3. Ne saltuatim tolutimve, nec pendulis jactitisque brachiis et manibus incede, neque pavonis instar superbe te circumspice, quam belle ornatus sis!

4. In via nusquam subsiste vel deflecte, ne canta aut fistula, ne ligna, lapides aliasve reculas jacta, nec saxa de industria pedibus collide aut commove, stultorum enim ista sunt negotia!

5. Religiosis, sacerdotibus, primariis viris occurrentibus aperto capite

Digitized by Google

honorem deferes; alios enim honore praevenire, urbanum est!

6. Respicere, num saluteris aut resaluteris inurbanitatis est indicium!

d) Regulae recreationis et lusus.

1. Observes praeprimis, quae de Deo praesente, de Angelo adstante, de corpore non tangendo, de pravis sociis vetitisque locis et lusibus dicta sunt in regulis generalibus pag. 17!

2. Ne lusu immodice incalescas, multo minus frigidum bibas, quia insalubre et periculosum est!

3. Ne vestes aut corpus pulveribus vel sordibus macules!

4. Ne verbis contendas altumve clames; ne in lusu fraude socios circumvenias, sed candide et sincere agas; nunquam te morosum, sed comem officiosumque omnibus praebeas!

5. Nulli exprobres, nulli defectus etiam naturales objicias, nulli cognomen impones!

6. Ne foetida et quae nauseam pariunt, in manus, minime autem in

Digitized by Google

sermonem adducas, sociisque tuis commonstres!

e) Regulae ad mensam.

1. Cum accubueris, ne statim mantile explica, aut primus in mensam manum porrige, sed quiete exspecta, dum inceptet is, qui in summo recumbit, et intentionem interea renova piam!

2. In mensa a scalpendo corpore, a tussiendo, mungendo, sputando tibi tempera, quoad potes, aut saltem, si necessitas urgeat, decore et cum minimo strepitu id facias ore obtecto vultuque nonnihil averso!

3. Mensae ad cubitos usque ne te immitte, nec sedi tuae humeris aut brachiis inepte incumbe!

4. Ne confertim et plenis buccis, ut lurco, comede, nec cibo et potu sic te opple, ut ad studia ineptus surgas a mensa; tantum comede et bibe, quantum non sensualitas, sed justa postulat necessitas! Unde cibi appositi semper aliquid relinque!

Digitized by Google

5. Pleno ore ne loquere, nec bibendo sorbendove strepitum ede, nec mandendo dentibus concrepa!

6. Salem e salino carpturus, culter ne butyro aut adipe unctus sit, prius ad mantile aut panis frustulum, non ad totum panem, deterge!

7. Domi alienae cibos aliena manu potius, quam tua, nisi jubearis, praesume!

8. Frustum in embamma ne majus intinge, quam ut una buccea confici possit; indecorum enim est, cum semel praemorderis, illud iterum intingere!

9. Ne putamina, ossa et ejusmodi mansui duriora sub mensam despue aut dejice, sed digitis aut manu sinistra belle compressa excipe et in orbem depone!

10. Ossa invenuste in os nec ingere, nec exsuge, nec canum more arrode, sed carnem cultello exime!

11. Cibos ad mensam ne olfacito; nec rustice, manu cultro instructa, simul eâdem cibum tibi in os ingerito!

12. Manus, adipe dapumve succo

Digitized by Google

perfusas, ne in os indecore, quasi lincturus, injice, neque etiam pani integro aut magnae ejus parti affrica, multo minus mappa communi, sed ad panis frustulum, quod mox sumpturus sis, prius detersas mantili permunda!

13. Sudore si vultus maduerit, aut pituita nasus defluxerit, eum non mantili, sed strophiolo mantili decenter supposito deterge!

14. Communi e scutella id ne usurpa, quod socio obversum est, sed sume, quod tibi adjacet!

15. Scyphum ne sic imple, ut in mensam defluat; dum is, qui tibi assidet, bibit, ne combibe: nec, antequam buccellam deglutieris, bibas, nec huc illucque oculis inter bibendum emissis!

16. A potu labra exterge et cave, ne, anima quasi sub haustu oppressa, densum exspires!

17. Dentes ne mappa, mantili, digito, cultro, furcilla, multo minus ungue perpurga, sed dentiscalpio subversa manu!

Digitized by Google

18. Mensa diutius ob convivas protracta, ne opus existima, alios operiri! Surge tu sub bellaria, alii surgant, cum volent; et qua decet reverentia Deo gratias age!

Aliae hac in re adolescenti studioso utiles nutae per *Horologium quotidianum et festivum* dispersae reperientur.

B. Horologium quotidianum pietatis et studii.

---

1) Hora V—V½. matutina.

Levatio, indutus et preces matutinae.

a) Sine mora surge, tanquam ab Angelo Custode excitatus, et ad laudandum Deum evocatus, ac primam cogitationem non de alio, quam de Deo, concipe! Diei primitias offer Deo, signo crucis te signa et affectus excita juxta Sectionem precativam pag. 108.

b) Lotus, pexus, indutus aspergas te aqua lustrali, et ante arulam domesticam vel coram Crucifixi icone

Digitized by Google

flectens, magno pietatis aestu preces dicas matutinas juxta Sect. precat. pag. 110.

c) Intentione pia diurna breviter formata secundum Sect. precat. pag. 114, sequitur studium, praecipuus studiosi labor, quem ut cum fructu peragas, nunquam ad libros te confer, quin S. Spiritus gratiam et opem Dei et Sanctorum imploraveris flexis, si potes, genibus ante arulam vel Crucifixi et B. M. V. iconem more b. Aloysii aliorumque; inde enim omne lumen venire debet.

2) Hora V ½ — VII. matutina.

Tempus studii.

a) Hoc tempus est memoriae, nam aurora Musis amica!

b) Nunc *regulas* germanicae, latinae vel graecae *grammatices*, de quibus tibi ratio reddenda est in schola; nunc lectiones *Historiae* et *Geographiae*, dum studia sunt mere memorialia; nunc *Catechismum* tuum mandes memoriae! Ecce

Digitized by Google

Methodus
memoriae mandandi lectiones.

a. Semel iterumque attente lectiones perlege!

b. Vide, ut ediscenda intelligas, et quae sit connexio cum antecedentibus et sequentibus praenota!

c. Distribue lectionem in certas partes, dicendo: hoc dicitur primo, illud secundo, istud postremo!

d. Ne multa obiter et simul menti ingeras, quia mox iterum effluunt, sed brevem sensum v. g. lineolam unam bis terve attente lege et mox remoto paulisper libro tenta, num memoriae inhaeserit; si memoria fallat iterum inspice et accuratius singula verba observa!

e. Ubi sensum unum aut lineam probe retinueris, ad sequentem perge, eamque similiter memoriae infige, jamque infixam cum priore conjunctim recita; ac simili modo progredere ad reliquas! Postremo totam lectionem a memoria reposce!

f. Cum multa memoriae mandanda

Digitized by Google

pro actione vel declamatione, per intervalla memoriam exerce, et post mediae horae laborem medii quadrantis quietem interpone, ne memoriam diuturniore studio nimium fatiges et obruas!

g. Cave, ne unquam ediscenda tam elata voce proferas, ut assidentes perturbes, nisi solus sis, tunc enim clara pronuntiatio adjuvat!

---

c) Si autem pridie jam ediscenda memoriae mandasti, brevis eorum sicuti Autorum vesperi tractatorum *repetitio* valde proderit!

d) Omnibus vero absolutis et repetitis pro schola necessariis reliquum tempus omnium aptissimum lectioni Autoris cujusdam probati et a Magistro commendati tribuas praecipue secundo semestrio aestivo!

e) Sub studio mentem subinde ad Deum eleva, vel lumen petendo, vel intentionem renovando, vel gratias agendo v. g. ad novi capitis vel paginae inchoationem etc., praecipue autem ad horae sonum, breviter recitans vel

Digitized by Google

cantans, quod reperitur in Sect. prec. pag. 104.

3) Hora VII — VII ½. matutina.

Jentaculum.

Ad jentaculum easdem uti ad mensam observes regulas Horologii diuturni pag. 24 — 27.

4) Hora VII ½ — VIII. matutina.

Sancrosanctum Missae sacrificium.

a) Ad sacrum tendens, ne linguae froenum laxes, sed cum modestia angelica incede, cogitans, te pergere ad tremendum Missae sacrificium!

b) Inprimis excita te ipsum ad attentionem et reverentiam consideratione divinae majestatis, ubique quidem, sed hic maxime praesentis!

c) Deinde forma intentionem offerendi hoc sacrosanctum et unicum novae legis sacrificium divinae majestati unacum sacerdote et per manus alienas, siquidem non licet per proprias! Ita hoc sacrificium tuum quoque facies,

Digitized by Google

nam et Judaei quondam censebantur offerre, licet sacrificia eorum per manus sacerdotum immolarentur.

d) De formandis intentionibus vide Sect. prec. pag. 149!

e) Assistas huic summo sacrificio aut *ministrando* sicuti angelus incorporatus juxta Sec. prec. pag. 180 aut *meditando*, ac si stares sub cruce dominica juxta Sect. precat. pag. 177 aut *precando* cum b. Aloysio aliisque Sanctis Dei juxta Sect. precat. pag. 152.

f) Regressurus ab ecclesia denuo reverenter adores venerabile sacramentum!

5) Hora VIII — X. matutina.

Lectiones scholasticae.

Fac, ut regulas observes pro schola pag. 20—22.

6) Hora X — XI. matutina.

Instructio repetitoria pro inferiorum grammatices cursuum discipulis.

a) Diebus per hebdomadem singulis, praesertim feriis, discipulis mi-

Digitized by Google

nus capacibus horam aptam matutinam vel et pomeridianam pro instructione repetitoria designari proderit!

b) Declinent nomina difficiliora!

c) Conjugent verba activa, passiva, impersonalia etc., et discernere discant communia et deponentia, tempora futura formae activae et praesentia formae passivae etc.

d) Describant correcta!

e) Forment exempla ad regulas syntaxeos recenter explicatas!

f) Ex praedictis parent se ad rationem in schola reddendam!

g) Exerceantur in scribendo graece, declinando et conjugando!

h) Cum captum eorum lectio quaedam superet, relegatur, examinentur nominum genera et casus, modi et tempora verborum!

i) Assuescant se interrogationi: quid hoc significat? cujus partis orationis est? cujus generis? cujus declinationis? cujus gradus? cujus temporis? per quam regulam?

k) Regulae minus clarae intelli-

Digitized by Google

gentiae eorum adaptentur; lacunae expleantur!

l) Phrases dictatas ad alia faciliora applicent!

m) Argumenta varient, activa in passiva etc. et regulas ac constructiones argumentis subscribant!

n) Et sensum locorum difficiliorum mox in schola explicandorum a Paedagogo seu Instructore quaerant!

o) Caeterumque locum hic habeant regulae pro schola propositae pag. 20—22.

7) Hora XI — XI½. meridiana.

Prandium.

a) Ad mensam vocatus interdum cogita: volo comedere et bibere ad honorem Jesu et Mariae, vel: volo comedere et bibere, quia haec est voluntas Dei!

b) Deinde manus lava; dumque mensae benedicitur, sta recto corpore, manibus ante pectus junctis, nulla oculorum evagatione precare et ad sacra nomina et „Gloria patri“ caput reverenter submitte!

Digitized by Google

c) Benedictionem mensae invenies in Sect. prec. pag. 120.

d) Necnon accurate observes regulas ad mensam pag. 24—27 Horologii diuturni positas!

8) Hora XI½ — XII. meridiana.

Gratiarum actio et recreatio.

Gratiarum actione post mensam juxta Sect. prec. pag. 121 finita hanc dimidiam recreationi et lusui impendas juxta regulas Horologii diuturni pag. 23.

9) Hora XII. meridiana.

Ad trinum horae pulsum in meridie orabis juxta Sect. prec. pag. 97 vel 98.

10) Hora XII — I. pomeridiana.

a) Arti etiam *musicae* et arti *delineandi* operam dabis!

b) Excolas ingenium tuum, si habeas, musicale, praesertim cantus; nam animae ars est musica, feros lenit mores, nigram repellit melancholiam, dul-

Digitized by Google

ces reddit horas otiosas, angelicis sociat choris!

c) Ars quoque delineandi magnum habet pretium, et pulcherrimas vitae spes tibi adaperiet!

11) Hora I — II. pomeridiana.

Tempus studii.

Si praeparationem pro lectionibus pomeridianis heri vel hodie mane studii tempore nondum absolveris, fac, ut absolvas! Praeparatione vero jam absoluta, repetitioni tempus impende!

12) Hora II — IV. pomeridiana.

Lectiones scholasticae.

Vide regulas pro schola affixas in Horol. diut. pag. 20—22.

13) Hora IV — V. pomeridiana.

Deambulatio.

Hanc horam deambulationi tribuas juxta Horol. diut. pag. 22 et 23.

Digitized by Google

14) Hora V — VII. pomeridiana.

Tempus studii.

1. Ne ad libros te conferas, quin S. Spiritus gratiam antea imploraveris flexis, si potes, genibus ante arulam aut Crucifixi et B. M. V. iconem more b. Aloysii et aliorum!

2. Nec intermitte, piam intentionem praemittere, sed omnia refer ad auctiorem Dei gloriam, tuam proximorumque salutem, christianae reipublicae utilitatem ac religionis catholicae defensionem!

3. Serviet eo oratiuncula Sect. precat. pag. 102 sive oratio ibidem pag. 103.

4. Hoc tempore fiat exercitatio Arithmetices et Matheseos, praecipue vero praeparatio ad legendos cras Autores! Ecce ergo

I. Methodus
legendi Autores pro studioso superiorum latinae scholae cursuum.

a) Absolutis duobus grammatices cursibus prima lectio Cornelii Nepotis,

Digitized by Google

C. J. Caesaris, Ciceronis, Xenophontis etc. occurrere solet.

b) Argumentum, si quod singulis capitulis praefixum fuerit, in libro inspicias et perlegas!

c) De sententia in sententiam progredieris attente te rogans: intelligisne? qui hoc germanice aliisve latinis verbis efferes?

d) Vocabula tibi ignota in speciali plagula annota cum significatione vernacula memoriae adjuvandae causa!

e) Construas sententiam excerpendo subjectum, objectum, praedicatum, verbum et inhaerentia, usque dum invenisti sensum!

f) Omnibus sic constructis sententiis, omniumque sensu reperto roges: quid hic elegantiae? quid notandum? scilicet phrases elegantiores, particulae, rari et inusitati modi loquendi, efferendi, transponendi!

g) Quaeras: ubi mihi haec phrasis serviet? et mox illam ad varia applices, diversos sensus per eandem exprimens!

Digitized by Google

h) Imitatio consistet in eo, ut similem contexas compositionem in materia simili, variatis numeris, singulari in pluralem, personis prima in 2 et 3. etc., retentis tamen phrasibus, particulis, transpositionibus reliquisque elegantioribus, ceteris praetermissis!

i) Apud Ciceronem speciatim observes rariores constructiones, connexiones, puritatem et proprietatem verborum, transitiones de una parte in aliam, modum narrandi, concludendi, suadendi, dissuadendi etc. et elegantiora referas in libellum, ut alias serviant!

II. Methodus
legendi Autores pro Gymnasii studioso.

1. Lectio Autorum prosaicorum.

a) Serves pleraque, quae in lectione et imitatione Autorum superiorum scholae latinae cursuum discipulis paulo ante praescripta sunt!

b) Insuper observes et annotes praesertim rariores tropos, figuras, sententias, transitiones, periodos, locos communes, comparationes, descriptiones,

Digitized by Google

ethopoeias, fabulas, leges, doctrinas, consuetudines, antiquitates latinorum graecorumque Autorum!

c) Imitatio consistet in exercendo stylo ad amussim Autorum, nunc epistolam scribendo ad varios dominos, nunc fabulam narrando, nunc historiam recensendo; jam amplificando, jam varia describendo, jam vero periodum contexendo monocolon, dicolon, tricolon, tetracolon etc.!

d) Quod rhetores v. g. Ciceronem, Demostenem etc. attinet, videas, ad quod genus spectet haec oratio v. g. an ad exornativum, vel deliberativum, vel judiciale! Legendo decurras numerum vel paragraphum unam, qua lecta sensum illius tacite tecum dicas: v. g. in hoc exordio Cicero captat benevolentiam; narrationem sic reddit probabilem; in confirmatione causam suam hoc argumento probat; in peroratione haec enumerat, illud amplificat, sic affectus movet!

e) A capite denuo incipiens, legas a puncto ad punctum; sensim enim

Digitized by Google

procedendum est, uti ad mensam in cibo; subsistas et roges te, an intelligas; intelligis autem, si rem eandem vel pari vel meliore germanica aut latina elegantia possis exprimere!

f) Ingeniosior quispiam et provectior examinet etiam inventionis artificium, ex quo loco rhetorico depromptum illud argumentum; nec praetereat dispositionis methodum, an firmius argumentum priore loco, an posteriore collocatum et quare? Denique ad elocutionem et amplificationem attendet, cur hic Autor caesim feriat, cur ibi membratim insequatur, cur periodice circumeat; quam sint verba sonantia, quam bene composita, quam fluentia; quibus pedibus inchoetur oratio, quibus terminetur? Quando hoc Autor pronuntiabat, quo vultu, quo gestu exprimebat?

g) Proderit etiam observare vitia, ut si fit aspera oratio propter concursum consonantium, hiulca, obscura, verba minus propria, quomodo rectius ita dicturus fuisses?

h) Imitatio subsequatur inveni-

Digitized by Google

endo similem quaestionem, simili argumento vel ratione confirmando, simili modo amplificando, eloquendo, elegantiora ad res alias transferendo etc.!

2. Lectio Autorum poëtarum.

a) Observatis pro intellectu observandis laborem, ut rem in linguam vernaculam vertendo accurate exprimere valeas, impone!

b) Praeter antedicta autem attendendum tibi erit, an verba nova, rara, a communibus grammatices et syntaxeos praeceptis remota occurrant!

c) Praesertim advertendum est discrimen styli soluti ligatique, quantitates sola autoritate constantes observandae, carmina elegantiora in aliud genus transfundenda, fictiones, descriptiones, fabulae, locutiones poëticae annotandae etc.!

d) Si quid elegantiae occurrat, mox ad te: quae causa hujus elegantiae? Solet autem omnis causa esse quadruplex: vel insignis et apta mire proprietas, vel tropus, vel figura, vel

Digitized by Google

eruditio inclusa. Sensus erit elegantissimus, in quo omnes hi quatuor elegantiarum fontes reperiuntur!

e) Roges te, ubi et quando serviet haec elegantia? Hîc vis maxima formandi germanismi, ideoque, quotquot possunt formari, formabis, qui per praesentem efferantur elegantiam! Videasque, quid notandum!

f) Denique perpendendum, ad quid lectio applicari possit in materia simili et, annotato conceptu, mox ad imitationem Poëtae scribendum!

g) Diebus praecipue festivis et feriis ad alium etiam probatum, in schola non legendum, Autorem poëtam sicut et prosaicum lectu accedere proderit ex consilio Magistri.

---

5. Hoc studii tempus vel maxime idoneum est, ad themata, si tibi injuncta sint, praesertim rhetorica vel inveniendo, vel componendo elaboranda.

6. Ecce methodi duae et pro inventione et pro compositione!

Digitized by Google

III. Methodus
themata rhetorica elaborandi.

1. Observanda pro inventione.

a) Ideam aliquam seu conceptum rei scribendae in animo elice, vel saltem rem, de qua scripturus es, mente concipe!

b) Vide, ut invenias rationem aliquam seu causam, quare hoc, de quo scribes, laudandum vel vituperandum, suadendum vel dissuadendum, amplectendum vel fugiendum sit, atque ubi memoria, liberve aliquis rationem unam aut plures suggesserit, mox annota! Facilius invenis, si percurreris partes chriae, orationis, historiae, locos rhetoricos a definitione, adjunctis, effectis etc., circumstantias personae, loci, temporis etc.: quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

c) Rationes inventas in ordinem dispone, primariam et efficaciorem primo loco, debiliorem in medio, solidam in fine! Easdem, si opus, confirma a contrario, simili, exemplo,

Digitized by Google

testimonio etc.! In oratione dispositio facillima est per modum enthymematis aut syllogismi. In quo propositio, seu major, nisi tam evidens est, ut probatione non indigeat, illustranda est aliquo simili aut testimonio etc. Assumptio vero, sive minor, ordinarie potissimum probanda est a causis aliisque praedictis rationibus.

d) Praevide, quid et quomodo amplificandum; quibus tropis et figuris exornandum; ubi conciliandi, ubi docendi auditores; ubi concitandi animorum motus! Quae dicenda mediocriter et temperate; quae subtiliter et acute; quae graviter et copiose; ubi cadenda commatis, ubi membris distinguenda, ubi periodis ducenda in orbem oratio, videas!

Si Magister invenerit, disposuerit, modumque amplificandi et figuras indicaverit, sequentia erunt.

2. Observanda pro compositione.

a) Si tempus concedat, lege quarta horae parte latinum vel graecum Au-

Digitized by Google

torem, qui eo stylo scripserit, quo tibi scribendum est: ut si orationem vel epistolam habes, lege Ciceronem vel Demostenem; si elegiam, lege Ovidium; si carmen heroicum, Virgilium; si oden, Horatium; si epigramma, Martialem; si historiam, Curtium, Livium, Plutarchum, Xenophontem vel alios, quos tibi Magister commendarit, quo inconsulto nullum legendum vel imitandum suscipies!

b) Observabis vero praecipue phrasin, numerum, stylum, qui consistit in fluxu quodam idoneorum verborum aequabili; simul etiam cogitabis, quid faciendum, ut illa imiteris!

c) Cum animum excitaveris, atque enthusiasmo seu furore quodam oratorio aut poëtico mentem imbueris, scriptionem incipe; res singulas verbis exprimens latinis vel graecis, usitatis, convenientibus, perspicuis, sonantibus, propriis vel translatis, ubi venustas orationis requirit!

d) Non quod primo in mentem venerit, hoc scribendum est, sed vari-

Digitized by Google

anda res eadem, aliis atque aliis verbis, quater et quinquies, et ex omnibus phrasibus optima retinenda est. Nullam autem phrasin, nullam vocem assumes, quam non in probato Autore reperies!

e) Cura etiam, ut noveris omnium casuum, temporum et constructionum rationem; nempe quare hoc nomen colloces in eo casu, quare relativum in isto; quae sit regula, quam hic sequi oporteat; unde illud tempus formetur etc.!

f) Compositione finita, omnia ab initio revolves, sensus singulos limabis, nihil in voce relinquens nimis vulgare, nihil improprium, nihil ambiguum, nihil peregrinum! In sensu nihil asperum, hiulcum, male sonans, puerile, confusum aut putide affectatum! Addenda sunt quaedam, aliqua rescindenda, multa mutanda, melioribusque tropis, figuris, phrasibus et periodis expolienda! Tota denique compositio ad praecepta artis et judicii revocanda, ut nihil, quod peritas aures offendere possit, relinquatur!

Digitized by Google

g) Postmodum describes terse, nitide, integre, in charta munda, bene plicata et circumcisa, ita ut supra, infra, et ante singulorum versuum initia justum spatium relinquas! Descriptum releges, et si quid omissum vel male pictum, corriges et laborem Deo offeres!

---

7. Sub studio mentem subinde ad Deum eleva, vel lumen petendo, vel intentionem renovando, vel gratias agendo!

8. In dubiis inextricabilibus cum d. Thoma ad Deum, vel cum b. Bonaventura ad Crucifixum, vel cum s. Aloysio ad B. V. Mariam, tanquam instructissimam bibliothecam, confugias!

15) Hora VII. pomeridiana.

Salutatio angelica.

Vesperi ad trinum campanae pulsum, quando B. V. Maria ab Angelo salutata creditur, dic preces Sect. precat. pag. 97 annotatas!

NB. Variat autem trinus campanae pulsus juxta diversa anni tempora.

Digitized by Google

16) Hora VII — VII ½. vespertiana.

Coena.

In hac servanda pia intentio et reliqua, ut in prandio, praesertim vero temperantia, ut alacrius mane surgas et quietius dormias!

Ut sis nocte levis,
Sit tibi coena brevis!

17) Hora VII ½ — VIII. vespertina.

Relaxatio.

Observes regulas recreationis et lusus Horol. diut. pag. 23.

18) Hora VIII — VIII ½. vespertina.

Tempus studii.

Bis terve lectiones memoriales perlege, ut sequenti die facilius mandes memoriae!

19) Hora VIII ½ — IX. vespertina.

Lectio ascetica.

Lege capitulum ex aureo Thomae de Kempis libello de imitatione Christi,

Digitized by Google

vel ex alio libro ascetico, aut in librorum plurium defectu librum librorum Bibliam sacram novi testamenti, vel vitam Sanctorum, imprimis Sancti diei sequentis!

20) Hora IX. vespertina.

Preces vespertinae.

Vide Sect. precat. pag. 124.

C. Horologium festivum religionis.

1) Hora V — V $^1/_2$. matutina.

Levatio, indutus et preces matutinae.

Observes omnia, quemadmodum in Horologio quotidiano assignantur pag. 27 et 28 supra!

2) Hora V $^1/_2$ — VI. matutina.

Meditatio.

a) Ne solis religiosis propriam esse meditationem putes, omnibus namque christianis utilissima est.

b) Unde enim tanta in mundo scelerum colluvies, nisi ex defectu medi-

Digitized by Google

tationis et considerationis? Rarius sane peccarent homines, si aeterna crebrius expenderent.

c) Omnis boni fons est meditatio teste s. Bernardo l. 1. de consid. ad Eugen. Primum quidem, inquit, hominem purificat, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat, agenda praeordinat, acta recogitat etc.

d) Ex quibus constat meditationis utilitas, imo necessitas, ut merito quivis studiosus pietati addictior et adultior diebus feriatis et festivis semihorulam eidem tribuat, et praesertim die Communionis hoc mysterium nonnihil expendat.

e) Pleniorem meditationis instructionem et cognitionem a conscientiae tuae arbitro facile hauries, aliquas meditandi lineas invenies in Sect. precat. pag. 91.

3) Hora VI — VI¼. matutina.

Examen conscientiae.

a) Pete gratiam peccata cognoscendi, detestandi, et rite confitendi

Digitized by Google

per orationem, quae annotata est in Sect. precat. pag. 194!

b) Percurre hebdomades vel dies ab ultima confessione elapsos et horas, a matutinis horis inchoando, et observa, in quibus deliqueris; licebit quoque percurrere praecepta Dei et ecclesiae, quinque sensus, septem peccata capitalia. Catalogum peccatorum reperies in Sect. prec. pag. 195.

4) Hora VI¼ — VIII. matutina.

Confessio, Communio et gratiarum actio.

1. Observanda ad s. confessionem.

a) Templum petes et peccata expiabis!

b) Ante confessionem, ingressus sacrum tribunal, benedictionem petens formato crucis signo dicas, quae notata sunt Sect. prec. pag. 214.

c) Deinde indicato tempore ultimae confessionis, peccata tua recense: 1) humiliter, ea non excusando, 2) sincere, peccata non palliando, 3) breviter, superflua non narrando, 4) honeste et

Digitized by Google

clare, ut satis intelligantur, 5) integre, addendo numerum certum, vel, si eum nescias, verisimilem, ita ut nullum peccatum mortale voluntarie omittas, quia hoc grande sacrilegium est. Deinde conclude juxta Sect. prec. pag. 215.

d) Sub absolutione cogita, animam tuam mundari pretioso sanguine Jesu Christi, cujus merita per Sacramentum confessionis tibi applicantur et breviter renova actum contritionis!

e) Poenitentiam, tanquam a Christo injunctam, libenti animo accipe, et quam primum potes exequere, eaque peracta orationes post confessionem recita! Videas in Sect. prec. pag. 215.

f) Confessiones eidem sacerdoti certo singulis mensibus factae animae tuae progressui valde proderunt!

2. Observanda ad ss. Communionem.

a) Pridie jam incipi praeparationem decet.

b) Jejuna, aut certe pridie temperantius coena, bolos aliquot sapidiores tibi subtrahe, eo magis sapiet manna coeleste!

Digitized by Google

c) Solito ferventius preces vespertinas persolve!

d) Aliquod humilitatis vel poenitentiae opus praemitte et modestius in omnibus te gere!

e) Ipso die ss. Communionis alacrius e lecto te proripe et primam cogitationem non de alio concipe, quam de dilecto tuo Jesu, quem hodie in pectus suscipies!

f) Preces matutinas ferventius recita!

g) Per semihorulam meditare de hoc mysterio et expende: quis ille est, qui ad te venturus est; ad quem; cur? jam eum considera ut regem, jam ut patrem, jam ut medicum etc. — te vero ut pauperem, infirmum, miserum etc.!

h) Si meditari nescias, saltem e libello pio de hoc beneficio tarde et attente per quadrantem horae lege!

i) Desiderium et orexin coelestis hujus alimoniae saepius in te excita juxta Sect. prec. pag. 229.

k) Ante ss. Communionem ad actualem devotionem animum inflamma vel

Digitized by Google

varios variarum virtutum actus eliciendo, vel orationes, quae in Sect. precat. pag. 229 positae sunt, attente et devote recitando!

l) Non parum promovet pietatem, si tibi imagineris locum aliquem sanctum, in quo communices. Unde jam in coenaculo sedebis ad mensam cum Apostolis; jam in monte Calvariae ad pedem s. crucis; modo eris in antro Bethlemitico ad praesepe Christi nascentis; alias in Nazareth, Emaus aut Bethania. Ibidem orationes praeparatorias aliasque fundes!

m) Ferventibus desideriis et affectibus inflammatus, quanta potes modestia, humilitate et reverentia ad mensam eucharisticam accede, oculis demissis, manibus plicatis et erectis!

n) Sacrae mensae assidens, manibus ad pectus sub mappa complicatis, capite erecto et immoto, ore quieto, lingua ad extremum labium honeste exserta, dominicum corpus reverenter suscipe salivaque delibutum in pectus tuum, quamprimum potes, demitte, et

Digitized by Google

particulam hostiae, si qua palato adhaereat, lingua non digito diligenter resolve factaque profunda reverentia ad locum redi!

o) Varios interim fidei, spei, charitatis actus exercens, jam cum s. Apostolo Thoma dicens: Dominus meus et Deus meus! jam ad imitationem s. Elisabethae: Unde mihi hoc, ut veniat Dominus meus ad me? jam cum sponsa: Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.

p) Ubi ad locum quietum te receperis, totus cum uno Salvatore tuo tibi intime praesente occupatus, oculis clausis vel demissis, corde et vehementi affectu potius, quam lingua, in ardentia erumpe suspiria, qualia notata sunt in Sect. prec. pag. 243!

3. Observanda ad gratiarum actionem.

a) Anima tua et lingua in gratiarum actione adjuvetur Sect. precat. pag. 251.

b) Ubi semihoram, vel si per tempus non liceat, saltem horae quadran-

Digitized by Google

tem gratiarum actioni dederis, dic quae apposita sunt in Sect. precat. pag. 261 domumque redi!

c) Domum redux e libello pio quidpiam leges; diem communionis reliquum modestius impendes, memor saepius tanti beneficii et aliquem affectum pium, quales reperies in Sect. prec. pag. 262 seliges, quem velut symbolum aut tesseram per diem crebrius repetas!

5) Hora VIII — VIII½. matutina.

Jentaculum.

Easdem uti ad mensam observes regulas in Horologio diut. pag. 24—27.

6) Hora VIII½—IX. matutina.

Relaxatio.

Modeste, quiete et pie hoc tempore utaris juxta regulas Horologii diuturni pag. 23.

Annotatio.

Si die Sabbathi vel pridie ante dies festivos et dominicos confessio

Digitized by Google

peccatorum fieri solet, hora VI — VII. matutina studio impendatur, a hora VII — VIII. matutina fiat praeparatio ad ss. communionem, ss. communio et gratiarum actio et cetera hic solita!

7) Hora IX — XI. matutina.

Concio et sacrum solenne.

1. Concio.

a) Concionem libenter audi; nam verbi divini audiendi desiderium praedestinationis signum est, quemadmodum reprobationis indicium est, ejusdem fastidium. „Qui ex Deo est, verba Dei audit“ Joan. 8. c.

b) Praevia oratione ferventer Spiritus Sancti gratiam implora, ut verbi divini sementis in te aliisque copiosum fructum proferat!

c) Audi concionem attente, sine somno, sine oculorum evagatione, sine fabulis et nugis; haec enim condiscipulis scandalum praebent!

d) Quod a sacro ecclesiaste dicitur, non aliis, sed tibi applica; si te

Digitized by Google

conscientia peccati arguit, emendare statue; virtus laudatur, eam assequi propone; nunquam non fructum aliquem referre conare!

e) Non tam ad conceptus et phrases, quam ad rem ipsam attende et unum saltem, alterumve punctum memoriae manda, ut domesticis referre possis!

f) Finita concione tibi aliisque gratiam pete, conservandi et conferendi omnia verba haec in corde tuo, sicut B. M. V. verba filii sui, fructusque proferendi!

2. Sacrum solenne.

Sacrum offeres ea intentione et methodo, de qua supra in Horol. quotid. pag. 31 et 32. vel voce orans vel mente expendens mysteria Sacrificii; vide Sect. prec. pag. 152 et pag. 177.

8) Hora XI—XI½. matutina.

Prandium.

Vide, quae de prandio dicta sunt in Horolog. quotid. pag. 34 et alibi!

Digitized by Google

9) Hora XI½—XII. meridiana.

Gratiarum actio et recreatio.

Omnia sicut eadem hora Horol. quotidiani pag. 35.

10) Hora XII. meridiana.

Preces ad trinum campanae pulsum in Sect. prec. pag. 97 vel 98.

11) Hora XII—I. pomeridiana.

Tempus hoc *arti musicae* impendendum, vel etiam *arti delineandi* operam naves!

12) Hora I—II. pomeridiana.

Instructio repetitoria

pro inferiorum grammatices cursuum discipulis sicut annotatum est in Horol. quotid. pag. 32—34. et

Tempus studendi

pro studiosis Gymnasii et discipulis superiorum latinae scholae cursuum juxta annotationes Horol. quotid. pag. 36.

Digitized by Google

13) Hora II—III. pomeridiana.

Litaniae, Vesperae et Sodalitas in ecclesia.

a) Vesperas et Litanias invenies in Sect. precativa pag. 267 et 317 ceterumque observes regulas audiendi ss. Missam!

b) Si sodalitas quaedam pia, v. g. B. Mariae V., s. Aloysii etc. loci extiterit, eandem quamprimum intrabis! Nam ex observatione statutorum et exercitationum piarum ejusdem magnum animae tuae lucrum facies. Statuta seu regulas, exercitationes pias etc. B. M. V. sodalitatis vide in Sect. precat. finem versus.

c) Et rosarium B. Mariae V., si lubet, ad certam semper intentionem vel mane factam vel aliam, v. g. pro obtinenda felici morte, certa virtute, pro deponenda mala consuetudine etc. Deo offeras! Methodum recitandi rosarium reperies in sect. prec. pag. 283.

Digitized by Google

14) Hora III—IV. pomeridiana.

Deambulatio.

Fiat juxta regulas Horologii diut. pag. 22 et 23.

15) Hora IV—V. pomeridiana.

Recreatio.

Et haec fiat juxta regulas Horol. diut. pag. 23.

16) Hora V—VII. pomeridiana.

Tempus studii.

Omnia observentur, quae pro tempore studii in Horologio quotid. annotata sunt pag. 37—48.

17) Hora VII vespertina.

Ne obliviscere ad trinum campanae pulsum angelicae salutationis variante tempore, quae est annotata in Sect. precat. pag. 97 et 98.

18) Hora VII — VII½. vespertina.

Coena.

Eadem servanda, ut ad coenam Horol. quotid. pag. 49.

Digitized by Google

19) Hora VII ½ — VIII. vespertina.

Relaxatio.

Facta gratiarum actione fiat relaxatio juxta Horol. diut. pag. 23.

20) Hora VIII — VIII ½. vespertina.

Tempus studendi.

Bis terve perlege lectiones memoriales, ut sequenti die mane facilius memoriae mandes!

21) Hora VIII ½ — IX. vespertina.

Lectio ascetica.

Eodem fiat modo, quo assignata est in Horolog. quotid. pag. 49.

22) Hora XI. vespertina.

Preces vespertinae,

quae annotatae sunt in Sect. precat. pag. 124.

D. Horologium philosophicum.

Notamen.

Experientia docet, in variis Universitatibus, Academiis et Lyceis com-

Digitized by Google

plures Philosophiae Candidatos, vel libertate majore allectos vel studiorum labore deterritos, vel difficultatum occursu dejectos, vel denique prava societate seductos, nobile et pretiosum tempus Philosophiae male perdere. Quare perutile duxi, et ipsis Horologium quoddam concinnare, secundum quod cursum studiorum dirigant, optatamque virtutis et scientiae metam feliciter attingant.

Praefationis instar
monita quaedam pro philosophis.

Monitum I.

Cum regum sapientissimus Salomon disserte asserat, sapientiam non habitare in corpore subdito peccatis, ante omnia philosophus operam det, ut animus semper puritate et a graviore noxa immunitate niteat; ita enim aptior erit ad percipiendos lucis divinae radios, ut e contra animus, lethali scelere foedatus, instar turbidi turbatique maris, imaginibus rerum objectarum clare repraesentandis non est idoneus.

Digitized by Google

Monitum II.

Imitetur Salomonem dicentem: „Invocavi, et venit in me Spiritus sapientiae.“ In dies per intercessionem B. Mariae V., s. Angeli Cust. aliorumque Patronorum singulare a Deo, omnis sapientiae fonte, pro subtilioribus hisce disciplinis percipiendis lumen postulet. Ita enim hortatur s. Jacobus Apostolus c. 1. „Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo.“ Nam Logica anagrammatice et vere caligo est, praesertim incipientibus; continet et Physica ac Metaphysica suos difficultatum nodos, quos sine gratiae divinae viribus vix dissolvet.

Monitum III.

Ut vero Philosophiae candidatus occurrentes in studio hoc spinas alacrius calcet et pede inoffenso pertranseat, certo sibi persuadeat velim, Philosophiam non modo acumen esse ingenii et lumen, quo veritatem a falsitate discernat, sed etiam basin et funda-

Digitized by Google

mentum omnium sublimiorum scientiarum. Nam sine Philosophiae notitia nunquam solide proficiet in scientia *Theologica*, cujus plurimae difficultates vel Philosophiae quaestionibus innituntur, vel saltem affinitate connexa, ac eadem illustrantur. Sine Philosophiae peritia nunquam excellet in *Jurisprudentia*; illa enim docet, vitatis confusis Autorum probationibus et citationibus solide et ordinate causam clientium probare et adversariorum argumenta refellere. Sine Philosophiae subsidio vix praestans erit in *arte medica;* ubi enim desinit physicus, incipit medicus. Taceo, quod Philosophia ipsis quoque verbi divini praeconibus facem praeferat, ad auditorum intellectus argumentis solidis convincendos, cum doceat eos, variis, vagisque discursibus eliminatis, in certum scopum collimare; et themate necdum satis stabilito identidem ingerat. Probo, proba.

Digitized by Google

Monitum IV.

His crebro expensis, serio studiis animum applicet maxime initio, nec optimum hoc vitae suae tempus, hunc florem aetatis suae, otio, lusibus, symposiis aut vitiis aliis transigendum putet. Omnium enim horarum strictissimam exiget rationem justus judex. Totum igitur se studiis tradat eo fine, ut viam sibi ad altiores sternat scientias, quibus imbutus Dei gloriam augere, suam aliorumque salutem procurare, haereses confutare, ac reipublicae christianae plurimum valeat prodesse in eo statu, ad quem Deus vocaverit.

Horologium
sive ordo diei pro philosophis.

Hora V. matutina.

a) Hieme; aestate vero sub mediam V. vel hora IV. surge juxta Horol. quotid. pag. 27.

b) Preces matutinas persolve juxta

Digitized by Google

Sect. prec. pag. 108 et piam forma intentionem juxta Sect. prec. pag. 113.

c) S. Missae sacrificio interesse multo mane in dies festina!

d) Jentaculo breviter sumpto scripta recole, et tempus matutinum usque ad scholasticae campanae signum, vel usque ad statutam pro audiendo aliquo collegio horam pridie scriptis, legendis, expendendis, examinandis tribue!

Methodus
legendi scripta philosophica.

1) Petito semper prius a Deo lumine per orationem, quam habes in Sect. prec. pag. 102 dispice, quis sit status totius quaestionis, quidve in controversiam vocetur, et quinam Autores pro vel contra faciant!

2) Probe observa, quae praenotantur; haec enim toti quaestioni lucem adferunt!

3) Conare intime penetrare sententiam tui professoris, quid asserat, quid neget, quibus rationibus sententiam suam stabiliat, quomodo adver-

Digitized by Google

sariorum argumenta dissolvat, quod sit praecipuum ipsius fundamentum, quae sit potissima ratio adversariorum; eaque confer et oppone inter se v. g. haec est nostra sententia, quae hoc argumento fundamentali potissimum nititur; adversarii illud objiciunt, sed hac ratione facile solvitur.

4) Omnibus rite perspectis et intellectis (vel dubiis, si quae occurrunt, in certum libellum relatis) finge tibi in animo ideam vel imaginem aliquam quaestionis, ita ut tecum repetere possis, quae sit materia totius quaestionis; quid quaeratur; quid asseratur; quid probetur; quid objiciatur; quomodo dissolvatur; adeo ut, remotis scriptis, totum caput, non ad verbum (id enim vanum et puerile foret) sed summatim per notabilia, assertiones, argumentationes, objectiones, responsiones et corollaria sine haesitatione recitare valeas!

5) Hoc tempore matutino tractes imprimis literas, quae memoriae et ingenio tribuendae sunt; nam mens, ingenium et memoria sunt vivaciora et capaciora!

Digitized by Google

Hora VIII. matutina, vel jam hora VII. aestatis:

Praelectiones.

a) Calamis aptatis et charta plicata accinges te ad praelectiones, nec tempus illud, quod superest ante Professoris ingressum, otio aut fabulis futilibus, ut saepe accidit, sed vel legendo, vel de quaestionibus philosophicis cum discipulorum aliquo modeste discurrendo impendes!

b) Precibus praemissis ad Professoris explicationem sedulo aures animumque arrige, terminorumque obscuriorum significationem observa, dubia, si licet, propone, et vide, ut quam rarissime absis; cum enim lectio una cum altera connexa sit, aegre unam absque altera intelliges!

Hora X. matutina.

Si quid temporis tibi reliquerint praelectiones, id expleas usque ad prandium, in scholis dictata et dicta recolens; examinans, num intelligas; du-

Digitized by Google

bia et obscura annotans, ut vel Professori vel doctiori cuipiam condiscipulo proponas!

Hora XI. matutina, vel medio horae XII. prandium juxta Horolog. quotid. pag. 34.

Hora XII. meridiana.

Relaxatio animi. Deinde aggredere practica quaedam exercitia ex. Arithmetica, Mathesi, Geometria, Trigonometria, Astronomia, Physica, aliisque mathematicis et physicis scientiis!

Hora I. pomeridiana.

Contubernali vel condiscipulo vicino objectiones et dubia propone, vel propositis responde, hac enim praxi magnam adipisceris disputandi vim, quae tibi his praesertim temporibus valde proderit!

Hora II. pomeridiana.

Praelectiones pomeridianae.

Digitized by Google

Hora IV. pomeridiana.

Praelectionibus finitis aliqua quies seu respiratio a labore!

Hora V—VII. vespertina.

Studium, relectio, examen scriptorum, praeparatio argumentorum et dubiorum proponendorum.

Nota! Varia aliorum scripta, aut libros philosophicos non leges, nisi cum consilio Professoris, ne ingenium varietate confundas vel obtundas. Unus Autor, si capacioris sis ingenii, concedi poterit, quem non legas, nisi propriis scriptis sufficienter lectis et intellectis!

Hora VII—VIII. vespertina.

Coena juxta Horol. quotid. pag. 49; relaxatio!

Hora VIII—IX. vespertina.

Per semihoralam seu quadrantem saltem horae lectio Thomae de Kem-

Digitized by Google

pis vel cujuspiam libri spiritualis cum consilio conscientiae tuae arbitri, deinde examen conscientiae.

Hora IX. vespertina.

Precibus vespertinis persolutis somnus.

Nota.

Quae in Horologio festivo seu feriali de bonis moribus, de oratione, de meditatione, de lectione libri spiritualis, de confessione, communione, aliisque dicta sunt, ea vel maxime philosopho servient!

Appendix, de eligendo vitae statu.

1. Praemonitiones.

a) Certum habe, mi adolescens, hanc status electionem summi esse momenti, utpote e qua salus aeterna pendeat, cum plurimi in hoc statu in aeternum damnentur, qui in alio salutem consecuti fuissent.

Digitized by Google

b) Ut resolutio praeceps vituperio, ita matura et tempestive incoata deliberatio laude digna est; deliberandum enim est diu, quod semel statuendum, quare autor tibi fuerim, ut jam in Gymnasio cogitare incipias, quem in finem studia dirigas, lumenque a Deo pro cognoscenda et exequenda ejus voluntate deposcas!

c) Cave, ne ira, tristitia aliave passione perturbatus, aut symposiis, conviviis, lusibusque illectus quidquam statuas, cum enim tunc animus excoecatus, praeoccupatus et minime indifferens sit, haud etiam aptus erit ad Dei voluntatem cognoscendam!

d) Optimum autem tempus est tempus orationis sacrificii ac praesertim communionis, quando Christum, consiliarium optimum, intime tibi praesentem habes, ut illi te ad omnia promptum offeras et cum Apostolo ex animo dicas: Domine, quid me vis facere?

e) Cave quoque, ne, confessario tuo inconsulto, ad hunc vel illum sta-

Digitized by Google

tum voto te obstringas; displicet enim Deo inconsulta et stulta promissio, quam non raro poenitentia sequitur.

2. Instructio pro ipsa status electione.

Electionem ipsam serio aggressurus, statue tibi ob oculos:

a) Finem tuae creationis, qui est, ut in hac vita Deum ames, laudes, reverearis, eique fideliter servias, ac in altera aeternam obtineas salutem!

b) Propone tibi triplicem statum, ceu totidem media ad finem hunc assequendum, sive tanquam triplicem viam ad coelestem patriam ac felicitatem aeternam: statum scilicet *matrimonialem, clericalem et religiosum!*

c) Expende, quisnam ex his tribus tibi aptior, tutior convenientiorque sit ad praedictum finem, quaeque in te naturae et gratiae dona talentave reperiantur, huic statui prae alio opportuniora!

d) Ut cautius prudentiusque procedas in tanti momenti negotio, cujuslibet status adjumenta et impedimenta

Digitized by Google

salutis examina, imo, ut clarius ea perspicias, in charta annota! — Ego paucula suggeram, et plura tibi consideranti occurrent.

3. Matrimonii commoda et incommoda.

a) Matrimonii commoda.

1) Prolium susceptio et christiana educatio;

2) Fides conjugalis;

3) Concupiscentiae illicitae remedium;

4) Individua vitae societas et auxilium, solatiumque mutuum.

b) Matrimonii incommoda.

1) Vinculi matrimonialis indissolubilitas, licet infaustum sit;

2) Onus alendi familiam, dotandi liberos etc.

3) Curae, terrenae solicitudines, labores.

4) Tribulatio carnis, de qua Apostolus, praesertim conjugum altero aegrotante vel absente etc.

Digitized by Google

4. Status clericalis commoda et incommoda.

Status clericalis, in quo quis relictis saeculi occupationibus et vanitatibus, Deo in ecclesia consecratus, deservit

a) Commoda sunt:

1) Liberatio ab incommodis et molestiis conjugalibus antedictis;

2) Exemptio ab obedientiae et paupertatis religiosae oneribus;

3) Facultas honestae sustentationis;

4) Opportunitas pro studiis et pietatis officiis, occasioque amicis et pauperibus succurrendi.

b) Incommoda sunt:

1) Obligatio satisfaciendi officio suo, majorum fundationi, fructuum ex patrimonio Christi perceptioni et legibus ecclesiae;

2) Difficultas continentiae inter tot occasiones et pericula, ubi adest lauta mensa, liberales haustus, otium, foeminarum contubernium, libertas;

Digitized by Google

3) Periculum malae dispensationis bonorum ab ecclesia perceptorum vel in luxum superfluum, vel in lautitiam nimiam etc.

4) Forte beneficiorum pluralitas sine necessitate, adeo periculosa, prava plurimorum ecclesiasticorum exempla et invitamenta plus ventri quam Deo servientium, quibus ut non alliciaris, quanta constantia opus!

5. Status religiosi commoda et incommoda.

Ordinis religiosi

a) incommoda:

1) Paupertas, qua carendum opibus ad libitum.

2) Concupiscentia carnis instringenda et supprimenda.

3) Libertas et voluntas propria captivanda et superiori subjicienda.

4) Cura pauperum, amicorum, familiae et Reipublicae deferenda.

Ordinis religiosi

Digitized by Google

b) commoda.

1) Remotio trium praecipuorum impedimentorum salutis, quae in mundo sunt, scilicet concupiscentiae oculorum per vótum paupertatis, concupiscentiae carnis per votum castitatis, superbiae vitae per votum obedientiae.

2) Liberatio ab innumeris curis, quas gerunt mundani pro rebus suis acquirendis, conservandis, augendis.

3) Gloria orta ex victoria concupiscentiae, ad quam religiosis varia media suppetunt.

4) Libertatis amissio maxima est libertas; servire enim Deo, regnare est.

Plura religiosi status commoda recenset D. Bernardus: „In religione, ait, homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, praemiatur copiosius.“

6. Regulae bonae electionis.

His bene perpensis, habitaque naturae tuae donorumque tibi a Deo

Digitized by Google

concessorum ratione (quae velut talentum illud evangelicum defodienda non erunt) facile perspicies, quid tibi convenientius, quid perfectius, quid ad vitam aeternam consequendam securius, quid ad majorem Dei gloriam coronamque tuam in coelo augendam accommodatius.

Attamen ne fallaris hac in re gravissima, ternas probatasque a S. Ignatio traditas offero regulas.

1) Quid amico tibi longe carissimo et salutis suae cupidissimo in simili casu, consilium a te flagitanti, suaderes? Idem et tu modo amplectere!

2) Quid in agone mortis, ubi omnia videbis velut somnia transiisse, et solus ibis in domum aeternitatis tuae, te elegisse optares? Quo in statu id temporis te vitam traduxisse cuperes? Illud modo elige, et fac ea, quae moriens facta fuisse voles!

3) Quid illo momento, quo ab omnibus amicis desertus, vitae tuae rationem redditurus, comparebis coram severissimo judice, qui nec personam

Digitized by Google

respicit, nec movetur lacrymis, nec precibus flectitur; quid, inquam, illo momento a te electum velles? Id nunc elige, et tunc securius eris!

Objectio.

Dices, ex his sequitur, statum religiosum eligendum esse, cum is et perfectior sit securiorque, in quo utique mortis et judicii tempore me sanctissime vitam traduxisse optarem.

Respondeo, esto, hic status securior perfectiorque sit, ac felix censendus, cui eo potiri datur; ne tamen mox concludas, illum tibi esse amplectendum! Obstare enim rationes possunt, ob quas tibi nec liceat, nec expediat, si v. g.

1) animi corporisque dotes desint; si praevideas

2) moralem impossibilitatem servandae continentiae;

3) si parentum, patriaeve gravis necessitas obstet;

4) si justitia aliud exigat v. g. ob aes alienum solvendum;

Digitized by Google

5) si gravia ecclesiae vel reipublicae damna sequerentur, aut in saeculo longe plus boni praestare posses.

Haec omnia in deliberationem vocanda, non enim omnes possunt eligere, quod natura sua optimum est, sed hoc eligendum,quod sibi convenientius quisque judicat, et ad quod a Deo se vocatum intelligit.

Quia vero in rebus propriis non raro caecutimus, alios quoque in consilium voca, cum ecclesiasticus (cap. 32.) moneat: „Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebit!“ Sed quos? *An parentes et cognatos?*

Periculosum est, a carne et sanguine consilium petere, cum saepe illorum amor tam immoderatus sit, ut filios a se avelli non sinant, vel tanta rerum temporalium cupiditas, ut, posthabito simoniae vel vitae scandalosae atque ab ecclesiastico statu alienae periculo, pingues ecclesiae proventus quavis via aucupentur. Quare, ut sua-

Digitized by Google

det idem ecclesiasticus: „Consiliarius sit tibi unus de mille,“ scilicet vir pius, doctus, prudens, v. g. *confessarius,* cui tam virtutes, quam vitia et inclinationes tuae optime perspectae sunt, quique nihil non saluti tuae proficuum suadebit.

Ad extremum, quodsi ad religionem vocareris, incertusque fluctuares, quamnam eligeres, omnino suaserim, ut illam illudve monasterium eligas, in quo viget pietas et primaeva floret disciplina et stricta regularum observantia regnat; non vero illud, in quo odium, dissolutio, laxitas, libertas, discordia, compotatio aliudve vitium dominatur. Praestat enim, in matrimonio pie, quam in ejusmodi ordine sine ordine et dissolute vivere. —

Si diu anceps haereas, nec te resolvere valeas; exercitiis s. Ignatii vaca aut decendialem pietatem erga Christum crucifixum et s. Franciscum Xaverium institue. Per diem saepius utere hoc velut symbolo: „Domine, quid me vis facere?“ praecipue in sacro, sub ele-

Digitized by Google

vatione, vel exposito Venerabili. Durante deliberatione saepius sacram synaxin adi et Christo tibi praesenti dic: „Loquere, Domine, quia audit servus tuus!“ (I. Reg. 39.) —

Digitized by Google

II.

SECTIO PRECATIVA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Anticipatio

1) de praxi, pie et attente orandi.

Praenotanda.

Oratio est colloquium cum Deo, ut ait S. Chrysostomus. Unde patet: 1) quod summa sit orationis dignitas, cum homo, terrae vermiculus, accessum habeat ad infinitam Dei majestatem, ut cum eo loquatur et conversetur; 2) patet, quod summa sit orationis necessitas et utilitas, cum innumeris hostibus et malis premamur, quae per orationem vincimus, et plurimis bonis careamus, quae oratione obtinemns; 3) accedit summa jucunditas, quia divina bonitas animas puras piasque nonnunquam inter precandum tanta dulcedine et solatio perfundit, ut coelestes delicias pergustare videantur.

Ut autem orationem rite peragas, ante orationem praepara animam tuam et noli esse quasi homo, qui tentat Deum, ut monet Ecclesiast. (c. 18.) Praeparatio autem duplex est: remota et proxima.

Digitized by Google

Praeparatio remota consistit in vita ordinata et composita per totum diei decursum, ut sis temperans, quo corpus sit bene dispositum ad orandum; ut cor et sensus bene custodias, et mortifices, quidquid te turbare potest tempore orationis.

Praeparatio proxima autem et ipsa praxis orationis haec est: domi vel in templo oraturus, mox statue te in praesentiam Dei, cogitans et credens, Deum tibi esse praesentem, aspicientem, quae facis, et quae dicis, audientem; eumque tanta vivacitate et certitudine intuere, ac si oculis corporis illum cerneres, dicendo tarde et affectuose omnes vel unum e tribus fidei actibus, qui sequuntur.

Actus fidei.

I. Credo firmissime, hic praesentem esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Deum ac Dominum meum, quocum loquar ego, qui sum cinis et pulvis.

II. Credo Deum esse in me et circa me et me esse in Deo velut piscem in aqua, velut avem in aëre, velut spongiam in mari; in ipso enim vivimus, movemur et sumus.

Digitized by Google

III. Credo mihi hic coram adesse judicem meum, qui me clarissime videt, qui omnes actiones meas observat, qui omnia verba et suspiria audit, ut, si recte orem, praemio, sin male, poena me afficiat.

Atque hanc praesentiae divinae memoriam, quantum potes, toto orationis tempore conserva, ita ut omnes et singulas precationes ad Deum tanquam praesentem dirigas, non secus, ac si cum Deo tibi astante loquereris. Quodsi vero haec Dei praesentis memoria quandoque exciderit, mox, ubi id notaveris, eandem renova dicens ut supra: Credo Deum hic esse praesentem; credo me cum Deo loqui etc. Atque hoc est orationis fundamentum et fons, ex quo reliqua omnia ad orationem bonam requisita profluunt. Nam ex hac viva Dei praesentis memoria oritur

1° reverentia magna et humilitas profunda, ut genua flectas, manus extendas et totum te Deo subjicias velut servum infimum summo Domino, velut creaturam suo Creatori.

2° attentio et animi recollectio, ne voluntarie distraharis, ne oculis curiose circumvageris, ne interloquaris, ne tepide et nimis festinanter ores aliave indecentia committas. Quis enim haec

Digitized by Google

ausit, si advertat Deum praesentem esse, qui ut judex justus omnes defectus judicabit et acriter puniet? Quis adeo inurbanus est, ut in auditu et alloquio principis, eo relicto, garriat et nugetur cum famulis vel catellis?

3° spes et fiducia, quod petita certo sis obtenturus, si tibi expediant et ad Dei gloriam conducant. Quid enim non speres, si firmiter et vivaciter credas, adesse illum, qui dixit: „Petite et accipietis.“ (Luc. 11.) et qui promisit (Marci 11.): „Dico vobis, omnia, quaecunque orantes petitis, evenient vobis.“

4° charitas, ut Deum, quem praesentem credis, tamque benignum, divitem, liberalem nosti, ames eique placere cupias et peccata, quae summe ei displicent, per contritionem vel confessionem deleas, quia Deus peccatores non audit, resipiscere nolentes.

Haec est praxis brevis et facilis, cui velim a teneris assuescas, atque in orando perseveres, donec obtineas; vult enim Dominus te orare et non deficere. Si igitur non defeceris in assidue cogitanda Dei praesentia nec in reverentia, nec in attentione, nec in fiducia, nec in charitate ac perseverantia, certo certius, quae petis, impetrabis. Deus enim, qui falli et fallere nequit, pro-

Digitized by Google

misit, priusquam peribit coelum ac terra, quam verbum Dei. —

2) De praxi meditandi.

1) Meditari seu mentaliter orare nihil est aliud, quam mente considerare et expendere res pias et spirituales v. g. de Deo, de mysteriis vitae Christi, de 4 Novissimis etc., ut ex eorum consideratione excitetur in anima pius affectus v. g. amor virtutum vel odium peccatorum.

2) Huic serviunt tres potentiae animae: memoria, intellectus et voluntas. Memoria reminiscitur vel cogitat aliquod mysterium divinum et quasi proponit intellectui. Intellectus deinde illud examinat et expendit circumstantias. Voluntas denique e mysterio bene perpenso aliquem pium affectum elicit.

3) Circumstantiae, quae considerari ab intellectu queunt, sunt: Quis, quid ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando? V. g. Quis passus? — Christus, Deus et homo, infinita illa Majestas et Bonitas. Quid passus? — Opprobria, flagella, spinas, mortem denique ipsam. Ubi? — Hierosolymae, in monte Calvariae. Quomodo? — Quanta alacritate et promptitudine, quanta cha-

Digitized by Google

ritate et patientia! — Cur? — Propter nos homines et propter me, ut me redimeret. — His sic expensis accedit voluntas, reflectiturque ad se dicens: Si Christus, salvator meus, tanta passus est pro me, nonne par est, ut et ego patiar amore ipsius? Hoccine vel illud mihi deinceps difficile accidet? — Subjungitur propositum: patiar libens amore ipsius.

4) Quam laudabile, quamque utile sit hoc meditandi exercitium, vel ex eo patet, quod Davidi, ipsi Christo, B. Virgini, S. Joanni Baptistae, S. Apostolis, et ausim dicere, omnibus eximie Sanctis familiare exstiterit. „Orabo spiritu, orabo et mente," ait S. Paulus (1. Cor. 14.)

5) Nec solis Religiosis propriam esse meditationem putes, omnibus namque christianis utilissima est. Unde enim tanta in mundo scelerum colluvies, nisi ex defectu meditationis et considerationis? Rarius sane peccarent homines, si aeterna crebrius expenderent. Omnis boni fons est meditatio, teste S. Bernardo l. 1. de consid. ad Eugenium, primum quidem, inquit, hominem purificat consideratio, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat, agenda praeordinat, acta recogitat etc.

Digitized by Google

Ex quibus constat meditationis utilitas, imo necessitas, ut merito quivis Studiosus pietati addictior et magis adultus diebus feriatis quadrantem, diebus festivis semihorulam eidem tribuat et praesertim die Communionis hoc mysterium nonnihil expendat.

Meditationem itaque aliquam institue, praesertim si ad superiores Gymnasii cursus aut ad Philosophiam jam ascenderis, praxim istam breviter perstringas, pleniorem vero cognitionem a conscientiae tuae arbitro facilius, quam e libello, hauries.

Praeparatio ad meditationem itidem remota est et proxima.

Praeparatio remota consistit in vita pura, tam a peccatis gravibus et venialibus voluntariis, quam passionum variarum turbis libera, nam: „Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.“

Praeparatio proxima complectitur sequentia:

1) Pridie vesperi meditationis puncta praelege, praelecta intelligere conare, intellecta obiter memoriae manda et affectum convenientem praevide, atque ubi ad quietem te composuisti, eadem puncta breviter recole et in iis indormisce!

2) Mane evigilans, eadem in me-

Digitized by Google

moriam revoca et desiderium bene meditandi excita!

3) Absolutis precibus matutinis, meditationem relege, et si observare nequeas omnia et tenere, licebit inter meditandum librum inspicere exemplo S. Theresiae.

4) Meditationem auspicaturus, aqua lustrali te asperge et in praesentia Dei te statue, per actum fidei firmiter credens, Deum esse praesentem teque ab illo videri. Cogitare etiam licebit, B. Virginem, s. Angelum custodem, aliosque ss. Patronos, tui aspectatores, adesse. Hac cogitatione armatus, uno alterove passu progredere et in genua te prosterne ac intime te humilians Deumque adorans dic cum Abrahamo: „Loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis!“

Haec ante meditationem, quaedam vero sub ipsa meditatione servanda sunt, et quidem

1) Genuflexus praemitte orationem praeparatoriam v. g. „Veni Sancte Spiritus“ vel hanc: „Actiones nostras etc.“ pag. 102 et 103.

2) Si de aliqua Christi nascentis aut patientis historia meditaturus es, triplex praeludium praemittendum est. In primo percurrimus breviter historiam. In secundo repraesentamus no-

Digitized by Google

bis per imaginationem locum certum, in quo mysterium contigit v. g. stabulum Bethlehemiticum vel montem Calvariae. In tertio petimus gratiam, praesens mysterium bene expendendi et congruos affectus eliciendi. Praeludia singula absolvi possunt spatio salutationis unius angelicae.

3) Finitis praeludiis primum punctum memoria exhibet, circa illud intellectus discurrit, voluntas accomodatos affectus excitat et proposita practica efformat. Deinde ad secundum ac tertium punctum progrediendum est.

4) In fine meditationis colloquium institue, in quo gratiam postules, ea, quae cognovisti, opere ipso exequendi. Colloquium hoc nunc ad Ss. Trinitatem, nunc ad Christum vel ad B. Virginem et angelum tutelarem, aut etiam ordine ad omnes et singulos dirigi potest. Denique finitur tota meditatio oratione dominica. — Si aliae meditationes tibi non sint ad manum, utere infra pag. 135 positis et post singula puncta affectum convenientem elice, prout in fine cujuslibet meditationis tantum brevitatis causa additum est. —

Digitized by Google

I. Preces usitatissimae.

In nomine † Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

1) Oratio Dominica.

Pater noster, qui es in coelis; sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.

2) Salutatio angelica.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui, Jesus. Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis, peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

3) Symbolum Apostolicum.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae; et in Jesum Christum, filium ejus unicum,

Digitized by Google

dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus; descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis; ascendit ad coelos; sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est, judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum; sanctam Ecclesiam catholicam; Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam aeternam. Amen.

4) Ad Signum

Salutationis angelicae matutinum, meridianum et vespertinum.

1) Angelus Domini nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu Sancto. Ave Maria etc.

2) Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria etc.

3) Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Ave Maria etc.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix!

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Digitized by Google

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut, qui Angelo nuntiante Christi filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur, per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace! Amen.

Vel

5) Alia praxis orandi ad trinum pulsum.

a) *Mane,* quando Christus resurrexisse creditur:

1) Regina coeli laetare, alleluja! Ave Maria.

2) Quia, quem meruisti portare, alleluja! Ave Maria.

3) Resurrexit, sicut dixit, alleluja! Ave Maria.

b) *In meridie,* post quem Christus crucifixus est:

1) Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ave Maria.

Digitized by Google

2) Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Ave Maria.

3) Ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum. Ave Maria.

c) *Vesperi*, quando B. Virgo Maria ab Angelo salutata creditur:

1) Angelus Domini nuntiavit Mariae et concepit de Spiritu Sancto. Ave Maria.

2) Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria.

3) Et verbo caro factum est, et habitavit in nobis. Ave Maria.

6) Feria quinta,
ad signum memoriae Agoniae Christi.

Jesus positis genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat! Pater noster etc.

Apparuit autem illi Angelus de

Digitized by Google

coelo, confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Pater noster.

Et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Pater noster.

Antiph. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus,

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui pro redemptione mundi miserias et angustias, opprobria et convitia, poenas et afflictiones, passionem et crucem patienter pro nobis miseris peccatoribus redimendis ferre voluisti, te supplices exoramus, ut omnes cruciatus, vitam et mortem tuam inter judicium tuum et animas nostras nunc et in hora mortis nostrae interponere, et largiri digneris vivis misericordiam et gratiam, defunctis requiem et veniam et nobis

Digitized by Google

peccatoribus vitam et laetitiam sempiternam, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

7) Feria sexta, ad signum in memoriam mortis Christi.

Tenebrae factae sunt super universam terram a sexta hora usque ad horam nonam, dum Judaei crucifixerunt Jesum. Et circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et iterum exclamans voce magna ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum! et inclinato capite tradidit spiritum. Quapropter adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum!

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus,

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum!

Oremus.

Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus

Digitized by Google

noster, Jesus Christus, non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

8) **Ante scholam, lectionem vel concionem.**

℣. Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium!

℟. Et tui amoris in eis ignem accende!

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur,

℟. Et renovabis faciem terrae!

Oremus.

Da nobis, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, quae nobiscum sit, nobiscum laboret, ut sciamus, quid, Domine, semper apud te acceptum sit, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Oratio alia.

Deus, qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti, da nobis, in eodem Spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

9) Post scholam, lectionem et concionem.

℣. Gratias agamus Domino, Deo nostro!

℟. Quia nobiscum egit secundum magnam misericordiam suam.

Oremus.

Domine, Jesu Christe, juventutis amator purissime et exemplar sanctissimum, benedic his studiis (vel doctrinis) et praesta, tua vestigia ingredi, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

10) Ante quodvis opus in particulari.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

11) Post opus factum.

Domine Jesu, in unione perfectissimorum operum tuorum offero tibi hoc opus meum ad emendandum ac Deo Patri digne praesentandum in laudem tuam aeternam. Amen.

Digitized by Google

12) Ad horae sonum.

1) *(Signa pollice pectus et recita salutationem angelicam. Subjunge:)* O Deus, propitius esto mihi peccatori!

2) *(Precare vivis horam felicem; dicendo:)* Omnipotens faustam donet mortalibus horam!

3) *(Precare defunctis requiem:)* Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace!

(Omnibus salutationem angelicam ad horae sonum recitantibus Urbanus P. P. IV. indulgentiam 30 dierum concessit, quam Joannes P. P. XXII. confirmavit et duplicavit; Leo P. P. X. autem indulgentiam mille dierum tribuit, et Paulus P. P. V. stabilivit.)

Alio modo:

„Ultima in mortis hora
Filium pro nobis ora!
Bonam mortem impetra,
Virgo, Mater, Domina!“ Ave Maria.

13) Salve Regina.

Salve Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra salve! Ad te clamamus exules filii Hevae: ad te suspiramus gementes et flentes in hac

Digitized by Google

lacrymarum valle. Eja ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

14) Oratio S. Bernardi ad B. V. Mariam.

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantam auxilia aut tua petentem suffragia, a te esse derelictum. Ego tali animatus fiducia ad te, Virgo virginum, Maria, mater Jesu Christi, confugio, ad te venio, ad te curro, coram te gemens, peccator, et tremens assisto. Noli, o Domina mundi, noli aeterni Verbi Mater, verba mea despicere, sed audi propitia, et exaudi me miserum ad te in hac lacrymarum valle clamantem. Adsis mihi, obsecro, in omnibus necessitatibus meis, nunc et semper et maxime in hora mortis meae. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria! Amen.

Digitized by Google

15) Salutatio christianorum.

℣. Laudetur Jesus Christus!
℟. In aeternum. Amen.

16) Responsoria pro fidelibus defunctis.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine!
℟. Et lux perpetua luceat eis!
℣. Requiescant in pace!
℟. Amen.

17) Oratiunculae jaculatoriae.

Domo egrediens.

Mitte, Domine, Angelum tuum, qui me custodiat in omnibus viis meis!

Aspiciens coelum.

Quam sordet mihi terra, dum coelum aspicio! (S. Ignat.)

Aspiciens micantia sidera.

Tot tibi sint laudes, Jesu, quot sidera coelo!

Transiens coemeterium.

Da requiem cunctis, Deus, hic et ubique sepultis!

Digitized by Google

Transiens Crucifixi iconem.

O Domine, Jesu Christe, adoramus te et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum!

In tentatione.

Malo mori, quam foedari! Vel: Momentaneum, quod delectat, aeternum, quod cruciat.

In adversis.

Fiat, Domine, voluntas tua!

In dubiis.

Domine, quid me vis facere?

In exitu, aspersus aqua lustrali.

Nos cum prole pia
Benedicat Virgo Maria! Vel:

Asperges me hyssopo, Domine, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor!

Digitized by Google

II. Preces quotidianae.

A. Preces matutinae.

Dum evigilas.

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea! (Ps. 62.)

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc et semper et per infinita saecula saeculorum. Amen. Gloria Patri, qui creavit nos; gloria Filio, qui redemit nos; gloria Spiritui Sancto, qui sanctificavit nos!

Dum surgis, Crucis signum forma et dic:

In nomine Domini nostri Jesu Christi surgo, ille me benedicat, regat, custodiat et ad vitam perducat aeternam. Amen.

Dum vestes induis:

Redde mihi, Pater aeterne, et conserva in me vestem innocentiae, quam perdidi in peccato Adae, ne paradiso coelesti ejiciar! Amen.

Indue me, Jesu Christe, rex gloriae, fragrantibus virtutum tuarum vesti-

Digitized by Google

mentis, humilitatis et patientiae, charitatis et castimoniae, ut Patris coelestis benedictionem obtineam! Amen.

Orna me, Sancte Spiritus, toga polymita et variegata donorum tuorum, ut in oculis tuis gratiam inveniam! Amen.

Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste protege et mortis hora suscipe! Amen.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, custodi, rege et guberna! Amen.

Dum lavas faciem et manus.

Pie pelicane, Jesu Domine, me immundum munda tuo sanguine! Amen.

Dum caput pectis.

Repelle a me, Domine, spiritum superbiae et immunditiae et orna caput meum corona coelestis gloriae! Amen.

Dum pileum imponis.

Dona me, Domine, pileo libertatis christianae, et a vitiorum servitute me eripe! Amen.

Digitized by Google

(*Indutus, pexus, lotus, aspergas te aqua lustrali et ante aram domesticam vel Crucifixi imaginem flectens magno pietatis aestu ita preceris:*)

a) Preces matutinae speciales.

I. Sis gratus!

Adoro et veneror te, o sanctissima Trinitas! te glorifico, laudo, benedico ac totum me ante thronum Majestatis tuae humillime prosterno. Tibi gratias ago pro universis beneficiis, ac nominatim pro hac nocte feliciter transacta. Quot, eheu! hac nocte e cubili suo ad tuum tribunal et inferos rapti? Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie! (Isai. 38.)

II. Cor offer!

O Pater aeterne! ad te primum suspirium et aestus cordis mei. Tibi me totum et omnes animae vires, et corporis sensus, et omnia offero. Suscipe, mi Pater, hos novae diei primos amores, eosque incendio charitatis Filii tui, meritisque conjunge! Quid enim mihi est in coelo? Et a te quid volui

Digitized by Google

super terram? Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum. (Ps. 72.)

III. Opus dispone futurum!

Ecce, mi amantissime Jesu! te aspirante firmiter statuo, ardenti corde viam mandatorum tuorum currere, probi christiani partes explere, consueta pietatis munia obire, virtutem castitatis potissimum sectari, universa denique et singula in nomine tuo et facere et pati. Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas! (Ps. 118.)

IV. Vita peccatum.

Veni, succurre Sancte Spiritus! Adeóne volens videnque ferocium me morsibus belluarum, id est peccatorum, objiciam? et huic vitio N. (libidinis, superbiae, gulae etc.) me sponte ingeram? Ah nimium isthic lapsus sum! Meliora, mi Deus, meliora! Tu, precor, in hoc discrimine vacillantem praesens robora, qui spopondisti: Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. (Ps. 90.)

Digitized by Google

V. Subsidiumque pete!

Adeste mihi pariter, o beatarum agmina mentium! Eja, prae reliquis piissima virgo Maria cum castissimo sponso tuo s. Joseph succurre! Tuque, mi Angele custos, vosque, o vitae meae Patroni N. N. et Sancti omnes, praesertim hac ipsa luce celebres, inopem juvate, ducite caecum et claudum! Tu vero prae omnibus aspira Deus meus et omnia! Siquidem in te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. (Ps. 30.)

(Hic, si sodalis congregationis B. Mariae V. es, recitabis ter orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum et Salve Regina; tum te offeres B. Mariae V. et Angelo custodi sequentibus:)

Commendatio ad B. Mariam V.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam, et in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie, et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem meam et consolationem meam,

Digitized by Google

omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem! Amen.

Commendatio ad s. Angelum custodem.

Obsecro te, Angele Spiritus, custos et tutor meus fidelis, ut in via pacis, prosperitatis et salutis te duce hodie dirigar, atque ab omni spiritu malo gravique tentatione defendar. Peto etiam te favente et juvante mihi auxilium dari, ut secundum Dei voluntatem hodie vitia fugiam, praesertim hoc N. (v. g. luxuriae, irae etc.) et virtutes christianas exerceam, praesertim hanc N. (v. g. castitatis, mansuetudinis etc.), quoad tecum communi Domino in coelesti gloria laetus assistam et in aeternum serviam. Amen.

Methodus
formandi piam intentionem.

(Quam utilis sit haec praxis atque adeo necessaria inde colliges, quod bona

Digitized by Google

intentio omnia opera, utcunque levia et de se vilia et abjecta, velut inauret et meritoria reddat coelestis gloriae, ut ita per eam possis labore eodem singulis horis et actionibus de novo coelum mereri, dum e diverso ejus neglectus veluti vorago est omnium operum, facitque, ut assidue laborando nihilo magis ditescas, sed quasi ventum semines, unde nihil nisi turbinem metas. Quare imprimis commendatum tibi habeas, et familiarem reddas piae intentionis usum, tum opera singula, quantum potes, actuali intentione ad Deum referendo, tum praecipue mane te totum cum omnibus potentiis et actibus totius diei Ss. Trinitati ad ejus obsequium offerendo.)

b) Intentiones quaedam generales.

Oblatio ad Ss. Trinitatem pro tota die.

O sacrosancta Trinitas, Deus meus Pater, Fili et Spiritus Sancte, offero tibi omnia mea, corpus et animam, intellectum, memoriam et voluntatem, omnes cogitationes, verba et opera, etiam minima quaeque, necessariam corporis curam et refectionem, somnum et vigiliam, tristia et laeta, la-

Digitized by Google

bores et dolores; omnes gressus et motiones corporis, omnes arteriarum pulsus, omnes respirationes meae erunt signa laudis et gloriae tuae ac idem significabunt, quod: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum! Amen.

Oblatio brevior.

Domine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Oblatio alia brevior.

Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus, rex coeli et terrae, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones et actus nos-

Digitized by Google

tros in lege tua et in operibus mandatorum tuorum, ut hic et in aeternum te auxiliante salvi et liberi esse mereamur, Salvator mundi, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Oblatio cujusvis operis in particulari.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Breviores quaedam aspirationes ad excitandam bonam intentionem aut fovendam idoneae.

1) Propter te, Domine! 2) Ad majorem Dei gloriam. 3) Laudetur Ss. Trinitas! 4) Tot tibi sint, Jesu, laudes, quot sidera coelo! 5) Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina! 6) Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut

Digitized by Google

erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

c) Intentiones particulares pro singulis hebdomadae diebus.

Intentio pro die Dominica.

Offero omnia dicta, facta, cogitata:

I. ad honorem et gloriam maximam Sanctissimae Trinitatis, ac praecipue aeterni Patris.

II. in gratiarum actionem pro omnibus Ss. Trinitatis beneficiis, scilicet: 1) praedestinationis, 2) creationis, 3) sustentationis, 4) redemptionis, 5) vocationis ad fidem catholicam, 6) justificationis, 7) denique pro specialibus beneficiis, mihique propriis. Vel ex his 7 in dies unum sume!

III. in satisfactionem pro omnibus meis peccatis, scilicet: 1) juventutis, 2) cogitationis, 3) locutionis, 4) operis, 5) omissionis, 6) pro occultis, 7) pro alienis. Vel in dies ex his 7 unum genus selige!

IV. pro impetranda viva fide!

Digitized by Google

V. pro exaltatione sanctae matris Ecclesiae!

Pro die Lunae.

Offero omnia dicta, facta, cogitata:

I. in honorem et gloriam Filii Dei incarnati!

II. in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis!

III. in satisfactionem pro omnibus peccatis!

IV. pro obtinenda firma spe et fiducia!

V. pro animabus in purgatorio, praesertim quibus obstrictus sum!

Pro die Martis.

Hodie offero omnia dicta, facta, cogitata:

I. ad honorem et gloriam Spiritus Sancti et s. Angeli custodis mei!

II. et III. ut die Lunae;

IV. pro impetranda ardenti charitate Dei et proximi!

V. pro rege bavarico, pro patria mea et civitate!

Digitized by Google

Pro die Mercurii.

Hodie offero omnia dicta, facta, cogitata:

I. in honorem ss. Patronorum meorum, s. Joannis Baptistae, s. Josephi, s. Catharinae, s. Aloysii etc.!

II. et III. ut die Lunae vel Solis;

IV. pro impetranda castitate!

V. pro parentibus, cognatis, amicis et benefactoribus!

Pro die Jovis.

Offero omnia dicta, facta, cogitata:

I. in honorem et gloriam venerabilis et sanctissimi Sacramenti Altaris!

II. et III. ut supra.

IV. pro obtinendo singulari amore et devotione huius ss. Sacramenti!

V. pro regibus et principibus christianis!

Pro die Veneris.

Offero omnia dicta, facta, cogitata:

I. ad honorem et gloriam Jesu Christi crucifixi et ss. quinque vulnerum!

II. et III. ut die Lunae.

IV. pro impetranda humilitate, patientia et perseverantia!

Digitized by Google

V. pro conversione ethnicorum, haereticorum et peccatorum!

Pro die Sabbathi.

Hodie offero omnia dicta, facta, cogitata:

I. in honorem B. Mariae Virginis sine macula originali conceptae!

II. et III. ut die Lunae;

IV. pro impetranda felici morte!

V. pro me meisque!

Omnia semper in unione meritorum Jesu Christi, B. Mariae V. omnium Sanctorum.

Petitio benedictionis.

Nos cum prole pia benedicat virgo Maria †!

B. Preces ante et post mensam.

1. Benedictio mensae ante prandium.

Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione. Gloria Patri et Filio et Spiritui

Digitized by Google

Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Kyrie eleison! Christe eleison! Kyrie eleison! Pater noster etc. *(secreto)*

Oremus.

Benedic, Domine, nos et haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumpturi per Christum, Dominum nostrum. Amen.

(Si adest Sacerdos, petitur ab eo benedictio:)

Jube domne benedicere!

Sacerdos: Mensae coelestis participes faciat nos Rex aeternae gloriae. ℟. Amen.

2. Gratiarum actio post prandium.

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant tibi!

Gloria Patri etc.

Oremus.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis, qui vivis et regnas in saecula saeculorum, Amen.

Digitized by Google

Ps. 116. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi;
Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri etc.

Kyrie eleison! Christe eleison! Kyrie eleison! Pater noster etc.

℣. Dispersit, dedit pauperibus;
℟. Justitia ejus manet in saeculum saeculi.

℣. Benedicam Domino in omni tempore;
℟. Semper laus ejus in ore meo!
℣. In Domino laudabitur anima mea;
℟. Audiant mansucti et lactentur.
℣. Magnificate Dominum mecum!
℟. Et exultemus nomen ejus in idipsum.
℣. Sit nomen Domini benedictum!
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Oremus.

Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

Digitized by Google

℣. Benedicamus Domino!

℟. Deo gratias.

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Pater noster (*secreto*).

Deus det nobis suam pacem! Amen.

3. Benedictio mensae ante coenam.

Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum, vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Gloria Patri etc.

Kyrie eleison! Christe eleison! Kyrie eleison!

Pater noster (secreto).

Oremus.

Benedic, Domine, nos et haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumpturi per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Jube domne benedicere! (*sacerdos respondet:*)

℟. Ad coenam vitae aeternae perducat nos Rex aeternae gloriae. Amen.

Digitized by Google

4. Gratiarum actio post coenam.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.

Gloria Patri etc.

Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

(Deinde dicitur Psalmus 116. Laudate etc., ut supra in gratiarum actione post prandium.

C. Preces vespertinae.

(Coram aula domestica seu Crucifixi icone genibus flexis Spiritus S. gratiam implora hoc modo:)

Invocatio Spiritus S.

Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende!

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur,

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da no-

Digitized by Google

bis in eodem Spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

(Recitabis hic Litanias Lauretanas vel de omnibus Sanctis, aut utrasque simul infra positas pag. 317 et 320.)

Solve Deo grates!

O Sacrosancta Trinitas, quanta est tua erga me hucusque bonitas et liberalitas!

O Pater aeterne, gratias tibi immensas ago, quia me ad imaginem tuam et ad salutem aeternam creasti, et in hanc usque horam tam paterne conservasti!

Gratias tibi summas habeo, Fili Dei, quia pretioso sanguine tuo me redemisti et toties jam abluisti!

Gratias tibi, Sancte Spiritus, maximas refero, quia me in baptismo sanctificasti et ad sanctam Ecclesiam catholicam perduxisti!

Infinita laus et gratiarum actio sit tibi, sanctissima Trinitas, quia hodie omnibusque momentis vitae meae ab

Digitized by Google

innumeris malis me protexisti, et tot beneficiis cumulasti! Quid habeo, mt Deus, quod rependam tibi? Suscipe, obsecro, omnia Jesu et Mariae merita et cum his me ipsum et omnia mea in perpetuum laudis et gratitudinis holocaustum! Amen.

Invocatio Dei Patris ante examen conscientiae.

O Pater luminum! per charitatem tuam aeternam erga me, obtestor te: memoriam mihi renova, intellectum illumina, voluntatem accende, gratiamque largire, agnoscendi, detestandi, emendandi et compensandi omnia peccata, negligentias et ingratitudines meas, quibus hodie oculos divinae majestatis tuae offendi, ut deinceps tibi tanquam obedientissimus filius per omnia placeam. Amen.

Discute mentem!

Percurre omnes diei horas:

1) quando et quomodo surrexeris?

2) an et qua ratione preces matutinas persolveris?

Digitized by Google

3) qui te gesseris a) in studiis, b) in scholis, c) in plateis, d) in sacro, e) in prandio et coena, f) in luso?

4) an a) cogitatione, b) verbo, c) opere et d) ommissione deliqueris α) erga Deum, β) parentes, γ) magistros, δ) condiscipulos, ε) te ipsum?

Delicti veniam posce a Filio Dei!

(Contritio de peccatis venialibus tantum.)

O Jesu, Salvator mi! quam ingratum me tot ac tantis tuis beneficiis exhibui! Quot nobilissimas horas male impendi! Quot meriti aeterni occasiones neglexi! Quot peccata venialia denuo admisi, quorum ne vel unicum pro totius mundi lucro admittendum foret! Damno ac detestor negligentiam malitiamque meam, et doleo, quod animam meam tot naevis venialibus maculârim, oculisque tuis divinis ingratam foedamque reddiderim. Doleo deinde, mi Jesu, quod iisdem graves hujus mundi poenas incurrerim et promeruerim supplicia ignis purgatorii, qui tamen gravior erit, quam quidquid

Digitized by Google

homo potest pati in hac vita. Maxime vero doleo de his N. N. et omnibus peccatis meis, quia haec displicent infinitae sanctitati tuae; quia offendunt summam bonitatem tuam, cui millies teneor quam perfectissime servire et omnia displicentia pro viribus evitare.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere mei! quia iniquitatem meam ego cognosco, et ex intimo corde doleo, quod te Deum, summum et unicum bonum, unquam offenderim. Amen.

(Contritio de peccatis mortalibus.)

(Si peccatum lethale illo die admiseris, (quod Deus avertat,) sequentem contritionis actum ferventissime subjunge!)

Ecce, mi Jesu, ego, ego sum ingratissima illa creatura, tanto a te sanguinis profluvio redempta, et tamen tanta scelera rependi, mandata tua sprevi et pedibus conculcavi! O quam doleo sic te laesam, o infinita majestas!

Ego sum filius ille prodigus, qui coelum et dona divinae gratiae turpi-

Digitized by Google

ter prodegi. Quam confundor, o immensa charitas!

Ego sum ovis illa perdita, quae pastorem suum deseruit et sese in fauces lupi infernalis conjecit. Quam detestor malitiam et infamiam meam, o incomprehensa bonitas! Tibi soli peccavi, et malum coram te feci! Hinc doleo et gemo, non tam, quod peccatis meis poenas aeternas meruerim, (quod terribilium omnium terribilissimum est), nec quod regnum coeleste pro re nihili perdiderim, (quod damnum super omne damnum est), sed ideo pure ex toto corde doleo, quia cor Dei mei contristavi; quia te offendi, qui es redemptor meus et summus meus benefactor; quia peccavi tibi, qui es tibi ipsi et mihi summum bonum!

O Jesu, esto mihi Jesus, id est Salvator, et salva me! Id peto per lacrymas tuas, per sudorem et sanguinem tuum et per cor dulcissimum matris tuae! Amen.

Digitized by Google

Recide malum coram Spiritu Sancto!

Sancte Spiritus! Deus cordis mei, abrenuntio et detestor coram te omnia peccata mea, et si, quae feci, adhuc facienda forent, non facerem ea in aeternum; malo millies sanguinem profundere et omnia perdere, quam vel unico peccato deinceps consentire, et infinitam Dei mei majestatem offendere. Hoc praesertim peccatum N., quod gravius te offendit, o Deus mi, omni possibili modo cavebo! Sed unde mihi vires, proposita haec exequendi? Novi fragilitatem meam et naturae corruptae instabilitatem; velle quidem adjacet mihi, sed perficere non invenio.

Ad te igitur confugio, o Spiritus Deus! unica spes et robur animae meae, omnia possum in te, si tu me confortes! Statuo, omnia peccata mea cum gratia tua corrigere, pravos socios et peccandi occasionem velut pestes fugere, inimicis offensam remittere. Corrobora me, o Spiritus fortitudinis, et qui dedisti velle, da perficere, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

(Finito examine orabis 3 Pater noster et Ave Maria cum Psal. „De profundis" pro fidelibus defunctis, (juxta Reg. 16.) tum commendabis te Deo et Sanctis:)

Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo et requiescamus in pace!

℣. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi!

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos!

Oremus.

Visita, quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea repelle; angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Commendatio ad B. Mariam V.

O Domina mea, sancta Maria! me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie et in hora exitus mei animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem

Digitized by Google

meam et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tua merita omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

Ad s. Angelum custodem.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna hodie illumina, custodi, rege, guberna! Amen.

Ad ss. Patronos.

O sancti Patroni mei N. N., me quiescentem protegite, vicesque meas in laudando Deo supplete, misericordias ejus hac nocte et in aeternum cantantes, impetrate mihi quoque gratiam, in gratia ejus semper vivendi et moriendi, ac gloria ejus aeternum perfruendi. Amen.

Intentio ante somnum.

Quietem captabo, mi Jesu, quia sic placitum est ante te, ut vires corporis restaurem, et divino tuo obsequio tanto aptior fiam. Mi Jesu, quo-

Digitized by Google

ties respiro per noctem, toties tu a me sis benedictus, ut in coelis te Seraphim benedicunt et Cherubim. Mi Jesu, in te credo, mi Jesu, in te spero, mi Jesu, te amo super omnia, tibi vigilo, tibi dormio, tibi vivo, tibi morior, amantissime Jesu!

Benedictio.

Nos cum prole pia benedicat virgo Maria †!

(Postquam ad lectum perveneris, te et illum asperge aqua benedicta, intra cortinas honestatis memor te exue ac inter exuendum tantisper recita Ps. 50. „Miserere" pro defunctis.)

Dum lectum subis:

In nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi vado cubitum, ille me benedicat, custodiat et ad vitam perducat aeternam.

In lecto:

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. In pace cum Deo et hominibus dormiam et requiescam.

(Assuesce a teneris, ut honeste compositus, lateri dextero incumbens, geni-

Digitized by Google

bus decenter indusio involutis, brachiis ante pectus decussatis, indormiscas, et cogita, quasi in vulnere lateris Christi, vel angeli custodis amplexu, vel in tumba sepulchrali jaceres, atque in ejusmodi piis cogitationibus somnum praestolare.)

Pia suspiria, dum noctu evigilas.

(Evigilans mox mentem ad Deum eleva, ut cum Davide possis dicere:)

„Memor fui nocte nominis tui, Domine.“

(Et hujusmodi affectus elice:)

I. Laudate Deum Sol et Luna: laudate eum omnes stellae et lumen! *(Vel:)*

II. Benedicite noctes et dies Domino, benedicite lux et tenebrae Domino!

III. O quot Religiosorum millia media nocte surgunt ad confitendum Domino! et ego in plumis jaceo. Gaudeo ex animo, mi Deus, te laudari, particeps ego sim omnium timentium te!

IV. O quot homines hac nocte mortem oppetunt, utinam felicem! Omnipotens faustam donet morientibus horam!

Digitized by Google

V. Si tam molestum est, modicum sine somno jacere in plumis, quam grave erit, aeternum jacere in prunis!

(Incipe denique recitare litanias vel alias preces familiares, ita facile tibi somnum conciliabis.)

III. Preces festivae.

A. Sacra antemeridiana.

1. Septem meditationes pro VII hebdomadis diebus.

a) Die Dominica.

I. Luxuriae poena: detrimentum corporis, animae, famae.

Considera I. Luxuria corpus inquinat vires enervat, morbos parit, vitam abbreviat, tentationes acuit, Dei templum in speluncam daemoniorum convertit.

II. Animam velut lepra maculat, velut pestis inficit, velut diabolicum philtrum intoxicat; Ss. Trinitatis imaginem eradit et in monstrum abominabile omni serpente, bufone et dracone horribilius transformat.

Digitized by Google

III. Formam prodigit, dolorem, pudorem et confusionem generat, infamiae notam inurit omni perduellionis ac proditionis macula foediorem, idque apud homines, Sanctos, Angelos et Ss. Trinitatem. — *(Ubi haec intellectu vivaciter apprehenderis et expenderis, tibique certo persuaseris, voluntas hunc subjungat affectum detestationis:)*

Affectus detestationis.

O luxuria! O ignis infernalis! cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillae prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna. (S. Hieron.) Quis te non oderit? O foedissima animae lepra! O pestis mortifera! O cerberi infernalis spuma! Qui tam amens esse potui, ut te in animam meam ultro admiserim! Detestor te supra omne detestabile! Ergone tam excors esse potero, ut deinceps momentanea voluptate tantam mihi cladem accersam? Cum S. Augustino libere dico, in diesque dicam centies: „Malo mori, quam foedari!“

Digitized by Google

b) Die lunae.

II. Poena luxuriae: Mors corporis et animae.

I. Considera mortem corporis. Ob hoc praecipue vitium totus mundus diluvio submersus est. Sodoma et Gomorrha igne sulphureo de coelo cadente conflagravit, et 24 millia hominum uno die deleta sunt. (Num. 25.)

II. „Anima, quae peccaverit, ipsa morietur.“ (Ezech. 18.) „Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini!“ (Rom. 8.) Haec est mors secunda. „Qui vicerit, non laedetur ab ea.“ (Apoc. 2.)

III. Adeone insanus fores, mi adolescens, si tibi in altissima turri constituto quispiam e terra melis stillam offerret, ut te deorsum praecipitares, — reapse te praecipitares? Stillam voluptatis offert diabolus et caro, dicens: „mitte te deorsum!“ praebet guttam melis, sed mare fellis, titilationem carnis, sed horrorem et amarorem mortis atque aeternitatis. —

Digitized by Google

Affectus timoris.

O quanto timore percellor vel sola peccati cognitione! Terret diluvium; Sodoma et Gomorrha horrore concutit! O anima mea, si carnis desideriis obediveris, quanto pavore in hora mortis obrueris? Quanto cum dolore deplorabis, quod corpus tuum adeo blande tractaveris, cum illud jam sepulchro inferetur, ubi subter illud sternetur tinea, et operimentum ejus erunt vermes? (Jsai. 14.) Annon illo vitae momento ultimo cum Jonatha exclamabis: „Gustans gustavi modicum melis, et ecce morior!“ (I. Reg. 14.) Pave igitur et cave!

c) Die martis.

III. Luxuriae poena: Rigor judicii divini.

I. Considera rigorem judicii particularis. Illo momento, quo anima tua migrabit e corpore, sistetur Judici omniscio: hinc stabit diabolus te accusans, omniaque foeda cogitata, dicta, facta tua exaggerans; inde angelus custos, dolens, quod toties, spretis piis

Digitized by Google

inspirationibus, abominanda perpetraveris.

II. Die judicii extremi et universalis omnia cogitata et facta, etiam occultissima, coram toto mundo et coelo manifestabuntur. Quodsi nunc ita confunderis, dum Professori tuo aut Rectori vel unum delictum tuum innotescit; quanta erit confusio, ubi in valle Josaphat toti universo omnia revelabuntur?

III. Expende sententiam in omnes molles ferendam: „Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus impurissimis.“ (Matth. 25.) Hac audita omnes, velut fulmine tacti, in puncto ad inferna descendent.

Affectus horroris.

O quam horrendum est, incidere in manus Dei viventis! Quis non tremat? Quis non expallescat? „O angustia, O angustia!“ exclamat S. Anselmus, „hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia, subtus patens horridum chaos inferni,

Digitized by Google

desuper Judex iratus, intus urens conscientia!“ Ubi latebo? Ubi apparebo? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. O anima mea, quanta igitur stultitia est, diabolo et carni titillanti tam leviter cedere?! In omni tentatione cum S. Hieronymo cogita terribilem illum ultimae tubae sonum: „Surgite mortui, venite ad judicium!“ et generose deinceps vince te, jejuna, carnem doma, nulla non adhibe media, ut libidinem debelles! In dies B. Virgini, Angelo custodi, et ss. Patronis te commenda, ut ab ignitis satanae jaculis te defendant et praemuniant.

d) Die mercurii.

IV. Luxuriae poena: Poena damni.

I. Considera poenam damni sitam in eo, quod hominem privet luxuria Deo, summo bono, summa felicitate, aeterna requie, clara Dei visione, amore beatifico et torrente voluptatis.

II. Anima immundi non modo privabitur visione Dei et Ss. Trinitatis, sed etiam nunquam fruetur aspectu

Digitized by Google

humanitatis Christi, salvatoris nostri, nunquam admittetur ad aspectum, alloquium et familiaritatem B. Virginis, Angelorum, Sanctorum et Sanctarum in coelo cum Christo regnantium.

III. Corpus libidinosi nunquam auribus percipiet coelestem musicam; oculi nunquam aspicient pulchritudinem coelestis Hierosolymae; os non cantabit canticum virginum Agnum Dei sequentium; nares odore coelesti, gustus manna et ambrosia, tactus amoenissima coelestis aurae temperie, Christique amplexu aeterne privabitur. Quae omnia ut altius penetrent tuam mentem, cogita, quam grave tibi accideret, si initio mensis Augusti, condiscipulis omnibus in patriam properantibus, tu in tenebrosum carcerem conjicereris, nunqnam deinceps tota vita patriam, parentes, fratres, sorores, amicos atque notos aspecturus. Hoc certo eveniet impuris peccatoribus. „Foris canes et impudici.“ (Apoc. 2.)

Digitized by Google

Affectus doloris.

O damnum, omne damnum superans! O poena sanguineis etiam lacrimis deploranda! Quid hujus damni comparatione est, omnes divitias, honores et gaudia mundi perdere? Nihil, nihil, nihil. O quam doleo et deploro insaniam meam omniumque mortalium, tam parvi tantam jacturam aestimantium! Ah! quid prodest, totum mundum lucrari et animae, Dei, coeli et felicitatis aeternae detrimentum pati? Ego sane jam firmiter statuo, potius vitam et omnia perdere, quam tantum detrimentum perferre.

e) Die Jovis.

V. Poena luxuriae: Poena sensus.

I. Considera, in inferno ob unicum etiam luxuriae peccatum: a) damnatorum oculos terribiles visu formae et horrifica spectra daemonum terrebunt; b) auditum perpetuae lamentationes, ululatus et stridores dentium ferient; c) gustum torquebit canina fames et sitis; d) tactum in omnibus membris

Digitized by Google

ignis avernalis cruciabit; e) odoratum teterrima mephitis et foetor cadaverum damnatorum aeterne divexabit.

II. Nec animae potentiae seu facultates tormento carebunt. Memoria recordatione praeteritorum, praesentium et futurorum cruciabitur, praesertim quod e momentanea voluptate in tantam malorum abyssum inciderit; intellectus obscurabitur; voluntas, in peccatis obdurata, in odio Dei et Sanctorum ita pertinax perstabit, ut in aeternum ad poenitentiam non sit emollienda.

III. In omnibus tormentis gravissimum et terribilissimum est aeternitas. Quantum solatium damnatis foret, si post mille annorum milliones tandem daretur finis tormentorum? Sed nunquam dabitur. Fluent tot anni, quot sunt in aëre atomi, in mari guttae, in terra arenae, in igne scintillae, et nondum erit finis malorum.

Affectus timoris.

O anima mea, quis non horreat? Quis non omnibus artubus contremi-

Digitized by Google

scat? O quanta poenarum congeries! O moles, non ferenda, sed tamen sustinenda! Adeone deinceps furere potero, ut ob voluptatis guttam, ob unicam cogitationem inpuram, momento evanescentem, ob verbum obscoenum, ob tactum impudicum in infinitum omnium tormentorum mare me conjiciam? O Deus, tolle me modo, si praevides me aliquando casurum! Haec me in omni tentatione obarmabit cogitatio: Quis poterit habitare cum igne devorante? Tenta, vel digitum brevi spatio candelae flammae insere! Si ferre nequis, cogita: „Quis habitabit cum ardoribus sempiternis?“ (Isai. 33.) Per vulnera tua obtestor te, mi Jesu, ita me tua gratia contra libidinem robora, ne veniam in locum illum tormentorum: Ubi, teste S. Cypriano, immortales miseri inter incendia vivent et libidines in proprio adipe frixae bullient et inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur.

Digitized by Google

f) Die veneris.

VI. Poena luxuriae: Jactura meritorum.

I. Considera, quolibet peccato mortali velut uno aleae jactu perdi omnia merita Jesu Christi, ita ut nihil ejus lacrimae, labores, sudores et dolores proficiant, nihil flagellatio, coronatio et crucifixio, nihil denique mors ipsa peccatori prosit; immo haec ipsa potius damnationem ejus et poenam augeant.

II. Perdit peccator omnia merita suarum orationum, jejuniorum, eleemosynarum et operum bonorum antea actorum. „Si averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem, omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur.“ (Ezech. c. 18.)

III. Perdit gratiam et meritum operum bonorum praesentium. Quidquid enim boni in statu peccati lethalis agit, opus mortuum est, opusini mici est et hostis Dei. Unde de condigno nihil promeretur. „Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum,

Digitized by Google

ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest," ait Apostolus (1. Cor. c. 13.).

Affectus deprecationis.

O Jesu crucifixe, salvator amantissime, en pedibus tuis advolutus, confusione et dolore plenus agnosco et deprecor ingratitudinem meam, quod inaestimabiles meritorum tuorum divitias et sanguinis tui pretium tam stolide prodegerim! Damno insaniam meam, humillimeque peto, ut mihi ignoscas, quod thesaurum meritorum omnium, tua adjuvante gratia tantoque labore et sudore collectum, momentanea voluptatis illecebra perdiderim. Ne id unquam in posterum accidat, juva me, obsecro, per sanguinem et mortem tuam accerbissimam. Amen.

g) Die Sabbathi.

VII. Poena luxuriae: Vulnera animae.

I. Considera vulnera intellectus: ignorantiam et caecitatem. Nam luxuria oculos animae eruit, ne aeterna

Digitized by Google

pro merito aestimet, ne coelestia meditetur et suspiciat, ne terrena intueatur, cognoscat et despiciat, ne ad mortis horam incertam attendat, ne Judicis tribunal, ne gaudia sempiterna, ne flammas inextinguibiles animo volvat. Intellectus luxuria defoedatus lynx ad terrena, talpa ad coelestia.

II. Perpende vulnera voluntatis. Nam 1) luxuria concupiscentiam, quam peccando nonnihil extinguere videtur, peccato velut oleo affuso vehementius accendit; 2) infirmitatem infligit, sublato resistendi robore, unde ex uno mox in alterum ac tertium scelus devolvitur; 3) malitiam et obdurationem cordis in malo parit.

III. Expende vulnera phantasiae et appetitus. Phantasia enim per hoc peccatum foedis, monstrosis et abominandis imaginibus ac figuris repletur, ipsum intellectum continuo sollicitantibus ac pene violenter trahentibus, ut eisdem attendat et occupetur. Appetitus velut turbatissimum mare passionum sibi invicem occurrentium agi-

Digitized by Google

tatur fluctibus amoris et odii, desiderii et fugae, tristitiae et gaudii, timoris et audaciae, spei et desperationis etc.

Affectus fugae.

O quanta malorum Ilias! Quot venenata capita ex una peccati hydra pullulant! Quot vulnera nascuntur! Quis sibi non caveat? O Deus, o summum bonum meum, hos ego mei ipsius carnifices in posterum in animam meam nunquam intromittam! Absit, absit! Sequar deinceps consilium (Eccl. c. 28. monentis:) „Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere!“ Sequar consilium Apostoli dicentis: „Fugite!“ Dixi, nunc coepi. Id unum te rogo per bonitatem tuam: tam pestiferam caecitatis et duritiae radicem tolle a me! Procul a me sit proprius libidinis foetus, cor durum, quod nec Deum timet nec homines, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, inverecundum ad turpia, impavidum ad

Digitized by Google

pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, praeteritorum obliviscens, praesentium negligens, futura non providens. (S. Bern. l. 1. c. 2 ad Eug.)

---

2. Ss. *Missae sacrificium.*

Prologi instar.

a) Unum e praecipuis christianae pietatis officiis est, ss. Missae sacrificio frequenter et devote assistere. Imprimis ergo excita te ipsum ad attentionem et reverentiam consideratione divinae majestatis, ubique quidem sed hic maxime praesentis.

b) Deinde forma intentionem offerendi hoc sacrosanctum et unicum legis novae sacrificium divinae majestati una cum sacerdote et per manus alienas, siquidem non licet per proprias. Ita, hoc sacrificium tuum quoque facies; nam et Judaei quondam censebantur offerre, licet sacrificia eorum per manus sacerdotum immolarentur.

c) Intentiones porro sive fines, ad quos dirigi potest hoc sacrificium, potissimum quatuor numerantur. Est enim primo latreuticum seu holo-

Digitized by Google

caustum, offerendum Deo in agnitionem supremi ejus dominii, et tanquam summus cultus, supremae majestati ejus debitus. Est secundo eucharisticum seu pacificum, offerendum Deo in gratiarum actionem pro innumeris ejus beneficiis. Tertio est propitiatorium, offerendum Deo pro peccatis. Quarto denique est impetratorium, offerendum Deo ad impetranda bona corporis et animae, et avertenda quaecunque mala, idque pro nobismetipsis, amicis et inimicis, justis et peccatoribus, vivis et defunctis.

d) Templum ingressus et aqua lustrali aspersus, genuflectens mox adora Christum in venerabili Sacramento, dicens:

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te centemplans totum deficit.

Ave Jesu, amor meus, et Maria, mater ejus!

Intentio ante ss. Missam.

Domine Deus, ad cujus imaginem creatus sum, da mihi gratiam, ut imminenti sacrificio, qua par est, reve-

Digitized by Google

rentia et devotione intersim, illudque una cum sacerdote divinae majestati tuae gratiose offeram: 1) ad majorem tui nominis gloriam et honorem, cui soli hoc sacrificium debetur; 2) in memoriam passionis et mortis tuae, quam ad hujus sacrificii usum fieri praecepisti; 3) in gratiarum actionem pro omnibus mihi collatis beneficiis; 4) in satisfactionem omnium mearum culparum ac poenarum, quas sanctissimo sanguini tuo in hoc sacrificio immergo; 5) ad impetrandam gratiam tuam et opem in re ista —, pro charissimis parentibus, amicis et benefactoribus meis, maxime istis —, pro fidelibus defunctis, potissimum istis —. Placeat tibi, Deus, Domine, haec intentio mea, et exaudi me per Christum, Dominum nostrum. Amen.

e) Ss. Missae sacrificio interesse triplex est praxis, nempe:

a) *orandi,* b) *meditandi* et c) *ministrandi.*

Digitized by Google

caustum, offerendum Deo in agnitionem supremi ejus dominii, et tanquam summus cultus, supremae majestati ejus debitus. Est secundo eucharisticum seu pacificum, offerendum Deo in gratiarum actionem pro innumeris ejus beneficiis. Tertio est propitiatorium, offerendum Deo pro peccatis. Quarto denique est impetratorium, offerendum Deo ad impetranda bona corporis et animae, et avertenda quaecunque mala, idque pro nobismetipsis, amicis et inimicis, justis et peccatoribus, vivis et defunctis.

d) Templum ingressus et aqua lustrali aspersus, genuflectens mox adora Christum in venerabili Sacramento, dicens:

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te centemplans totum deficit.

Ave Jesu, amor meus, et Maria, mater ejus!

Intentio ante ss. Missam.

Domine Deus, ad cujus imaginem creatus sum, da mihi gratiam, ut imminenti sacrificio, qua par est, reve-

Digitized by Google

rentia et devotione intersim, illudque una cum sacerdote divinae majestati tuae gratiose offeram: 1) ad majorem tui nominis gloriam et honorem, cui soli hoc sacrificium debetur; 2) in memoriam passionis et mortis tuae, quam ad hujus sacrificii usum fieri praecepisti; 3) in gratiarum actionem pro omnibus mihi collatis beneficiis; 4) in satisfactionem omnium mearum culparum ac poenarum, quas sanctissimo sanguini tuo in hoc sacrificio immergo; 5) ad impetrandam gratiam tuam et opem in re ista —, pro charissimis parentibus, amicis et benefactoribus meis, maxime istis —, pro fidelibus defunctis, potissimum istis —. Placeat tibi, Deus, Domine, haec intentio mea, et exaudi me per Christum, Dominum nostrum. Amen.

e) Ss. Missae sacrificio interesse triplex est praxis, nempe:

a) *orandi,* b) *meditandi* et c) *ministrandi.*

Digitized by Google

a) Praxis orandi inter ss. Missam.

α) Methodus

legendi sequentes orationes.

Ad Introitum.

Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariae semper Virgini, omnibus Sanctis et Angelis, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. De omnibus vero peccatis meis, omissionibus et negligentiis doleo ex intimo corde, quia Dominum Deum, summum bonum, offenderim, ac firmissime propono, me emendare. O Deus, propitius esto mihi peccatori!

Piissime Deus, quam bene mecum agis, quoniam Sacrarium tuum intrare, adorandoque Sacrificio me interesse permittis, quod Filius tuus unigenitus olim in patibulo crucis tibi pretiosissimo sanguine suo obtulit, quodque nunc in altari incruento modo renovatur. Cum Angelorum choro coram

Digitized by Google

majestate tua infinita in genua prostratus te devotissime adoro. Expurga me ab omnibus, quae sanctis oculis tuis displiceant, atque preces meas sacerdotis totiusque ecclesiae precibus unire dignare! Propitius respice, piissime et misericordissime Deus, de summo coelo in me, filium tuum pauperrimum, et miserere mei! Miserere mei, Pater, propter Jesum, filium tuum dilectum, et ignosce peccata mea! Poenitet me ex toto corde; detestor igitur omnia peccata mea, quia iis te, Deum et Patrem meum dilectissimum, bonum meum summum et optimum, offendi. Amen.

Ad Gloria in excelsis.

Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis! Laudamus te, benedicimus tibi, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus, rex coelestis, Deus Pater omnipotens! Domine Fili unigenite, Jesu Christe, Domine Deus, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere

Digitized by Google

nostri! Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram! Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nostri! Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Jesu Christe, cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Ad Collectas (orationes).

Omnipotens, sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia majestatis adorare Unitatem, quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Concede, nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae, semper Virginis, intercessione a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut intercedente beato N., Martyre tuo, et a cunctis adversitatibus

Digitized by Google

liberemur in corpore et a pravis cogitationibus mundemur in mente.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, quas in beati N., Confessoris tui, solemnitate deferimus, ut, qui nostrae justitiae fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, precibus adjuvemur.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, ut, sicut de beatae N., Virginis tuae, festivitate gaudemus, ita piae devotionis erudiamur affectu. Per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Ad Epistolam.

Lectio Epistolae B. Pauli, Apostoli, ad Romanos c. 11.

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus? Quis enim cognovit sensum Domini; aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Ipsi honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Ad Evangelium.

S. Evangelium secundum Matthaeum c. 28.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos, servare omnia, quaecunque mandavi vobis. Et, ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. — Domine Jesu Christe, qui a Deo venisti magister et viam Dei nos in veritate docuisti, olim quidem visus in terris et cum hominibus conversatus, hodie etiam per Evangelistarum scripta et verbi tui praedicatores docere non cessans: da nobis intellectum ad capiendam doctrinam tuam salutarem, accende in nobis affectum immutabilis tui charitatis, et doce nos facere voluntatem tuam, ut fidem, ex auditu Evangelii natam et lingua nostra professam, etiam moribus vita fateatur. Solius enim gratiae tuae opus est, ut

Digitized by Google

sciamus voluntatem tuam et faciamus, quia ex nobis servi tantum inutiles sumus, ex te vero est omnis sufficientia nostra. Amen.

Ad Credo.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum, Jesum Christum, Filium Dei unigenitum et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum,

Digitized by Google

Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

Ad Offertorium.

Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, haec dona sacrificanda, quae ego, peccator quamvis indignus, offero tibi per manus sacerdotis unacum tota ecclesia tua! Suscipe ista, Deus vive et vere, in agnitionem meam supremi dominii tui et in documentum profundissimae tibi debitae adorationis meae! Suscipe ista in gratiarum actionem pro innumeris beneficiis tuis! Suscipe in piaculum pro innumerabilibus peccatis, offensionibus et negligentiis meis! Suscipe in recuperandam gratiam tuam, ad impetranda bona corporis et animae et avertenda quae-

Digitized by Google

cunque mala! Simul offero tibi, misericordissime Domine, corpus meum et animam, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum meum, intellectum meum, rationem, voluntatem et memoriam meam, omnia et singula, quaecunque possideo et sum. Accipe cor meum, dulcissime Jesu, idque cum sanctissimo corde tuo unitum Patri tuo coelesti offer in holocaustum sempiternum! Sicut panis et vinum in carnem et sanguinem tuum sanctissimum transsubstantiabitur, ita verte et immuta cor meum, ut cordi tuo sanctissimo sit simile! Nunquam porro voluntatem meam et libidines meas peccaminosas sequar, sed operam dabo quam maximam, deinceps ex tua voluntate juxta praecepta tua semper vivere, ut in omnibus sentitis, dictis et factis te, Deum meum, honorificem, tibique semper complaceam. Amen.

Psalmus 25.

Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, et in Domino sperans non infirmabor.

Digitized by Google

Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua.

Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.

Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.

Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine,

Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me et miserere mei.

Pes meus stetit in directo, in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Ad Secreta (orationes).

Sanctifica, quaesumus, Domine Deus noster, per tui sancti nominis invocationem hujus oblationis hostiam, et per eam nosmetipsos tibi perfice munus aeternum per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Tua, Domine, propitiatione et beatae Mariae, semper Virginis, intercessione ad perpetuam atque praesentem haec oblatio nobis proficiat prosperitatem et pacem.

Accepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio, et ejus nobis fiat supplicatione salutaris, pro cujus solemnitate defertur.

Praesta nobis, quaesumus, omnipotens Deus, ut nostrae humilitatis oblatio et pro tuorum tibi grata sit honore Sanctorum et nos corpore pariter et mente purificet.

Accepta tibi sit, Domine, sacratae plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum se meritis de tribulatione percepisse cognoscit auxi-

Digitized by Google

lium per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Ad Praefationem et Sanctus.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth! Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis! Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis! Amen.

Ad Canonem.

O Deus ineffabilis, jam incipiunt illa tremenda mysteria, quae nec Cherubim nec Seraphim nec omnes virtutes coelorum plene valent comprehendere, ideoque summa pietate adorant. Jam universos Angelorum ordines de coelo descendere, eosque in gradibus altaris genuflectentes momentum exspectare imaginor, quo Jesus Christus, rex eorum, incruento modo iterum tibi, Pater aeterne, in altari immolatur. Itaque ego, peccator vilissimus, demergo me in profundissima valle humilitatis meae et exspecto tremens illud momentum gravissimum. Utinam unica

Digitized by Google

pretiosissimi Sanguinis gutta Agni immolati caderet super animam meam pauperrimam et ablueret eam ab omni macula! O Deus, propitius esto mihi peccatori! Amen.

Memento pro vivis.

O amantissime Jesu! in vulnus dexterae manus tuae commendo tibi Pontificem, Episcopos et Ecclesiae tuae sanctae Rectores. In vulnus sinistrae manus tuae commendo tibi Regem nostrum N. et omnes Principes christianos. In vulnus dexteri pedis commendo tibi parentes, fratres, sorores, cognatos et benefactores meos. Jn vulnus pedis sinistri commendo tibi ethnicos, haereticos et peccatores. In vulnus sacratissimi lateris tui commendo tibi, o Jesu! corpus et animam meam. Et per dolorem et sanguinem horum vulnerum te oro atque obtestor, ut mihi et praedictis omnibus gratiam copiosam, charitatem perfectam et aeternam felicitatem largiri digneris. Amen.

Digitized by Google

Ad elevationem sacrae hostiae.

(Ter pectus tunde et dic:)

O Jesu amantissime, per gloriosum corpus tuum miserere mei! Per sacratissimam animam tuam miserere mei! Per sanctissimam divinitatem tuam miserere mei!

Ave verum corpus, natum
De Maria Virgine,
Vere passum, immolatum
In cruce pro homine!
Esto nobis praegustatum
In mortis examine!

O Jesu! o pie Fili Mariae, miserere nostri!

Ad elevationem calicis sacri.

(Ter tunde pectus et dic orans:)

O Jesu amantissime! per pretiosissimum sanguinem tuum miserere mei! Per sacrosancta vulnera tua miserere mei! Per dolorosissimam mortem tuam miserere mei! Salve nobilis et pretiose sanguis de vulneribus Domini mei Jesu Christi profluens

Digitized by Google

et totius mundi peccata abluens! Ablue, sanctifica et custodi animam meam in vitam aeternam. Amen.

Memento pro defunctis.

Memento, quaesumus Domine, famulorum famularumque tuarum N. N., qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas deprecamur.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam et societatem donare digneris cum Sanctis tuis N. N., intra quorum nos, Domine, consortium non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte! Amen. Pater noster etc. vide pag. 93 supra.

Ad Agnus Dei.

(Ter pectus tunde et dic:)

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri!

Digitized by Google

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem!

Praxis communionis spiritualis.

(1. Elice dolorem de peccatis tuis!

2. Excita fervens desiderium communionis!

3. Ad „Domine non sum dignus" indignitatem tuam agnosce: 1. ob summam et infinitam Dei majestatem, 2. ob maximam tuam vilitatem, 3. ob innumera tua peccata et dic humillime ter:)

„Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea."

(4. Dum sacerdos sacram hostiam sumit et tu desiderium sumendi teque Christo Domino uniendi renova, corde ferventi suspirans:)

Credo in te, o suprema Veritas!
Spero in te, o aeterna Felicitas!
Amo te, o infinita Bonitas!

(5. Subjunge oratiunculam s. Ignatio familiarem:)

Anima Christi, sanctifica me!
Corpus Christi, salva me!

Digitized by Google

Sanguis Christi, inebria me!
Aqua lateris Christi, lava me!
Passio Christi, conforta me!
O bone Jesu, exaudi me!
Intra tua vulnera absconde me,
Ne permittas me separari a te!
Ab hoste maligno defende me!
In hora mortis meae voca me!
Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te
In saecula saeculorum. Amen.

Ad Postcommunionem (orationes).

Proficiat nobis ad salutem corporis et animae, Domine Deus noster, hujus Sacramenti susceptio spiritualis, et sempiternae sanctae Trinitatis ejusdemque individuae Unitatis confessio per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Sumptis, Domine, salutis nostrae spiritualiter subsidiis, da, quaesumus, beatae Mariae semper Virginis patrociniis nos ubique protegi, in cujus veneratione haec tuae obtulimus majestati.

Refecti spiritualiter participatione

Digitized by Google

muneris sacri, quaesumus Domine Deus noster, ut, cujus exequimur cultum, intercedente beato N., Martyre tuo, sentiamus effectum.

Quaesumus, omnipotens Deus, ut, qui coelestia alimenta spiritualiter percepimus, intercedente beato N., Confessore tuo, contra omnia adversa muniamur.

Satiasti, Domine, familiam tuam spiritualibus muneribus sacris, ejus, quaesumus, semper interventione nos refove, cujus solemnia celebramus, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Ad Benedictionem.

(A sacerdote benedictionem velut a Christo in coelo ascendente accipe, dicens:)

Benedicat nos omnipotens Deus, Pater et Filius † et Spiritus Sanctus. Amen.

Ad ultimum Evangelium.

In principio erat verbum et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt,

Digitized by Google

et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Et verbum caro factum est,* et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis. —

Digitized by Google

(Sacrificio peracto, pro distractionibus et imperfectionibus offer Deo:)

Gratiarum actionem

Psalmum 116.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi!

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Pater noster etc.

β) Alia Methodus

devote legendi sequentes hymnos.

Ad Introitum.

Prosternimur credentes coram te, Trinitas!
Exaudi concinentes, o una Deitas!
En hostiam litamus, quam lege jusseras,
Nos simul immolamus, quibus te dederas.

Ascendat ut incensum isthaec oblatio,
Fiat munus impensum tui placatio!
Non vitulos donamus, ut Aaron fecerat,
In ara Christum damus, qui se sacraverat.

Digitized by Google

Salvator ante coenam, quae fuit ultima,
Vadens in mortis poenam, amoris victima,
Panem, vinum accepit, dedit discipulis,
Hoc facerent, praecepit, sacris in epulis.

Vos, ait, manducate hoc Carnis epulum,
Et Calicem libate, salutis poculum!
Hoc mortis momentum, ne menti abeat,
Amoris documentum in vobis maneat!

Ad Gloria in excelsis.

O Deus majestatis, tibi laus, gloria,
Sit bonae voluntatis cunctis laetitia!
Ne bella, fac clementer, fideles op-
primant,
Altari confidenter qui tuo proximant!

Rex coeli, Pater magnus, glorificamus te!
O Fili, Dei Agnus, proni laudamus te!
Spiritui divino compar sit gloria!
Honor sit Uni Trino saecla per omnia!

Ad Collectas (orationes).

In Sanctis tuis nimis Deus mirabilis,
Concede, ut imprimis beatae Virginis
Et omnium Sanctorum intercedentibus
Suffragiis coelorum jungamur mentibus.

Digitized by Google

Ad Epistolam.

En, servus tuus tacet, loquaris Domine,
Nam sermo tuus placet plus mellis flumine,
Illo ego non secus ductus ac lumine,
Nunquam a meo caecus errabo Numine.

Ad Evangelium.

Est Dei testamentum in Evangelio,
Hoc habet fundamentum vera Religio,
Hoc lumen orbi dedit, qui nunquam fallitur.
Felix, qui firmus credit et promptus sequitur!

Hoc verbum veritatis commonstrat semitam
Sanctae beatitatis, justis pollicitam.
Da, Deus, custodire, quae per te credimus,
Ad vitam sic venire, ad quam contendimus!

Ad Credo.

Te, Patrem, confitemur, factorem omnium,
Et Filium fatemur salutis pretium.

Digitized by Google

Ad nos venit de coelo, natus de Virgine,
Confracto mortis telo, passus pro homine.

Crucis morti addixit illum gens impia,
Post dies tres revixit virtute propria,
Ascendens coelos sedet in Patris gloria,
Venturus judex reddet poenas et praemia.

Paraclitum fatemur; quod in Ecclesia
Communio, docemur, sit Sanctis socia;
Peccatum relaxatur, carnis surrectio,
Perpetuaeque datur vitae fruitio.

Ad Offertorium.

Aeternus Deus unus, oblatum suscipe,
Panis et vini munus placatus accipe!
Nam panis Corpus verum, pro cunctis Hostia,
Et Sanguis Christi merum fiet, propitia.

Sacramus voluntatem, cor, corpus, omnia,
Juva fragilitatem superna gratia,
Da leges custodire, quas jubes exequi,
Malo non consentire, salutem assequi.

Digitized by Google

Ad Sanctus.

Mentem et cor levemus ad coeli atria,
Ter „Sanctus“ insonemus Deo in gloria!
O cujus majestate plena sunt omnia,
Da gentes caecitate leventur noxia!

Ut sic unito corde mens Hosanna pium
Procul a quavis sordeapplaudat omnium:
Benedictus, qui venit in Dei nomine,
Qui probra nostra lenit mundans nos crimine!

Ad Elevationem.

Ave, o Corpus, natum ex Matre Virgine,
In cruce quod oblatum fuit pro homine!
Quod fluxitperforatum unda et sanguine,
Sit nobis praegustatum in mortis limine!

Sit robur Calix iste infirmae animae,
Et mortuis, o Christe, sit pro levamine.
Imprimis cognatorum memento, Domine,
Et qui benefactorum censentur nomine!

Post Elevationem.

Adoro te devote, velata Deitas!
Quis capit vel remote modum, quo latitas?

Digitized by Google

Hic sola fides regnat, nam est mysterium,
Fidelis ut quis credat tantum prodigium.

In cruce fuit tecta sola Divinitas,
Et isthic et contecta manet humanitas.
Divinum Manna datur panis coelestium,
Mors Christi memoratur, salutis pretium.

O Jesu, nos immundos in tuo Sanguine
Munda et fac foecundos cruoris germine!
Aeternam, quam speramus, vitam in patria,
Da, ut obtineamus in coeli curia!

Ad Pater noster.

Pater, qui es in coelis, tibi encomia,
Et nobis dare velis coelorum praemia.
Fiat tua voluntas, da panis munera,
Dimitte nobis culpas, tentatos libera!

Ad Agnus Dei.

Agnus Dei, qui deles mundi piacula,
Sacramento fideles pascens per saecula,
O Jesu, miserere, contritos respice,
In pace nos tuere, nec abs te rejice!

Digitized by Google

Ad Communionem.

Indigni quidem sumus, ad quos tu venias,
Mox tamen sani sumus, si nos respicias.
O dic, hoc Sacramentum mundet nos crimine,
Sit nobis firmamentum in mortis limine!

O Jesu, panis vivus, justorum portio,
Sit tua Caro cibus et Sanguis potio,
Queis anima refecta mea diligat,
Et vicissim dilecta hoc aevum transigat.

Ad finem.

O Deus gratiarum, tibi litavimus,
Solemnia Missarum tibi dicavimus.
Obsequium collatum clementer suscipe,
Da nobis te placatum, nunquam nos despice!

O Deus, Sancte, Fortis, tui dilectio
Sit in momento mortis nostra protectio,
Immunes peccatorum coram te, Judice,
Ut civium sanctorum signemur indice!
Amen.

(Nota. Pausas forsan evenientes explebis orationibus primae methodi, seu recita orationes Dominicas!)

Digitized by Google

γ) Alia quoque Methodus
orandi ad ss. Missam.

Rosarium B. Mariae Virginis ora cum mysteriis juxta praxim infra positam pag. 283 et quidem: 1) ab Adventu usque ad Quadragesimam *Mysteria gaudiosa,* 2) per Quadragesimam usque ad Pascha *Mysteria dolorosa,* 3) a Paschate usque ad Adventum *Mysteria gloriosa.*

b) Praxis meditandi inter ss. Missam.

Sacrum est totius vitae ac mortis Christi Domini vera et viva repraesentatio et iterata oblatio.

Primarius sacrificans est ipse Christus, cujus vicarius est Sacerdos, qui Christi personam agit, unde illius

1) Tonsura significat coronam spineam;

2) Humerale velamen oculorum Christi;

3) Alba illusoriam vestem Herodis;

4) Cingulum, manipulus, stola: funes et vincula Christi;

5) Casula: vestem purpuream;

Digitized by Google

6) Calix: dolores in cruce et sanguinis effusionem;

7) Corporale: Sindonem, qua a morte Christi corpus involutum fuit;

8) Altare: montem Calvariae.

Sacri tres sunt partes.

I. Pars refert vitam Christi gratiosam — ab initio usque ad oblationem. —

II. Pars refert vitam Christi poenosam seu passionem — ab oblatione usque ad communionem. —

III. Pars refert vitam Christi gloriosam — a communione ad finem.

Praemissa igitur oratione praeparatoria pag. 151. posita siste te in praesentia Dei, imaginare te stare in monte Calvariae sub cruce Jesu Christi, et considera mysteria vitae et passionis Christi Domini in missa repraesentata!

1) Sub descensu sacerdotis ex altari considera Christum incarnatum!

2) Sub Introitu et Kyrie Christum a Patriarchis et Patribus desideratum contemplare;

Digitized by Google

3) Sub Collectis (orationibus): agentem vitam privatam;

4) Sub Evangelio: concionantem;

5) Sub Offertorio: anhelantem ad ultimam coenam et crucem;

6) Sub Praefatione: ingredientem Hierosolymam;

7) Sub prima parte Canonis: passum et ad mortem ductum;

8) Sub Elevatione: crucifixum;

9) Sub ultima parte Canonis: mortuum et sepultum;

10) Sub Pax Domini: resurgentem;

11) Sub Communione: unientem se fidelibus per gratiam et praesentiam sacramentalem;

12) Sub Benedictione: ad coelos ascendentem;

13) Sub Evangelio S. Joannis: venturum judicem.

Haec mysteria considerans simul elice actus fidei, spei, charitatis, contritionis, compassionis, gaudii, gratitudinis, adorationis, glorificationis, v. g. ad „Kyrie“ novies cum sacerdate petendo, ut tui Deus misereatur; ad

Digitized by Google

„Gloria“ cum sacerdote prosequendo: laudamus te, benedicimus tibi, adoramus te etc.; ad „Evangelium“ et „Credo“ ad singulos articulos ex corde dicendo: credo, credo.

c) Praxis ministrandi ad Missam.

1) Libenter inservi, perhonorificum enim est. Unde non solum viri doctrina et sanctitate illustres, sed et ipsi Genii coelestes saepe ministrarunt.

2) Accurate ministra, et clare responde tono fere pari voci sacerdotis!

3) Ante Venerabile vel altare transiens reverentiam decenter exhibe, etiam initio et fine cujusque Evangelii, necnon ad sacra Jesu et Mariae nomina. Reverentiae autem exhibendae sunt sine strepitu, altero pede modeste reflexo, dum consistit; nutu capitis, dum de genibus oras.

4) Facies et manus lotae sint, vestes mundae, pallium ex utroque humero aequaliter dependens, manus junctae et protensae.

5) Oculos ad altare plerumque converte; cave, ne retrospicias vel socio arrideas, aut immoderate tussias, exscreesve; si necessitas urgeat, strophiolo vel manu strepitum frange!

6) Inserviturus noli currere vel cer-

Digitized by Google

tare cum socio pro dextro latere; humilis, imo humanus facile alteri illud offeret.

7) Ingressurus sacristiam prius saluta ss. Sacramentum dicendo: „Laudetur sanctissimum Sacramentum!“ vel „Tot tibi sint laudes, Jesu, quot sidera coelo!“

8) Si non adsit alius, qui sacerdotem induat, eundem juvabis, attendesque, ut alba circumquaque aequaliter pendeat, nec veste altior sit, nec terram attingat.

9) Libro unus, alterque ampullis repletis instructus, praecedit sacerdotem usque ad ostium, quod is, qui ad sinistram ministrat, aperit et subsistit, alter vero procedit et pileum sibi porrectum reverenter accipit suoque loco deponit.

10) Sub initium Sacri flectant infra gradum humi non aequali linea cum sacerdote, sed paulo remotiores, aequali spatio a celebrante semoti, protensis junctisque manibus, habitu corporis ad modestiam composito; qui a sinistra flectit, solus respondeat sacerdoti.

Introitus Missae.

Sacerdos. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

(Ministri se quoque signant s. Cruce.)

Sacerdos. Introibo ad Altare Dei.

Digitized by Google

Minister. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

Sacerdos. Judica me, Deus, et discerne causam meam, de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me!

Minister. Quia tu es, Deus, fortitudo mea; quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Sacerdos. Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

Minister. Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

Sacerdos. Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus; quare tristis es anima mea et quare conturbas me?

Minister. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus!

Sacerdos. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

(Et ministri inclinant caput.)

Minister. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Sacerdos. Introibo ad Altare Dei,

Minister. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

Sacerdos. Adjutorium nostrum in nomine Domini!

(Signant se quoque cruce Ministri.)

Minister. Qui fecit coelum et terram.

Sacerdos. Confiteor Deo omnipotenti etc. — Dominum Deum nostrum.

Minister. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam.

Sacerdos. Amen.

Minister. (*Demisso nonnihil capite.*) Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis et tibi Pater, (*obiter hic vultum ad celebrantem vertit,*) quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa! (*Hic ter pectus tundit.*) Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaëlum Archangelum, bea-

Digitized by Google

tum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos et te Pater, (*vultu ad sacrificantem converso*) orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Sacerdos. Misereatur vestri etc. — ad vitam aeternam.

Minister. Amen. (*Erigit caput.*)

Sacerdos. Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.

(*Signant se cruce Ministri.*)

Minister. Amen.

Sacerdos. Deus, tu conversus, vivificabis nos,

Minister. Et plebs tua laetabitur in te.

Sacerdos. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,

Minister. Et salutare tuum da nobis!

Sacerdos. Domine, exaudi orationem meam,

Minister. Et clamor meus ad te veniat!

Digitized by Google

Sacerdos. Dominus vobiscum!

Minister. Et cum spiritu tuo!

(Sacerdote ascendente, ministri facta reverentia in infimum gradum genuflectunt.)

Sacerdos. Kyrie eleison!

Minister. Kyrie eleison!

Sacerdos. Kyrie eleison!

Minister. Christe eleison!

Sacerdos. Christe eleison!

Minister. Christe eleison!

Sacerdos. Kyrie eleison!

Minister. Kyrie eleison!

Sacerdos. Kyrie eleison!

Sacerdos. (*Si dicendum sit.*) Oremus, flectamus genua!

Minister. Levate!

Sacerdos. Dominus vobiscum!

Minister. Et cum spiritu tuo!

Sacerdos. (*Quoties concludit:*) Per omnia saecula saeculorum.

Minist. (*Toties respondebit:*) Amen.

In fine Epistolae.

Minister. Deo gratias! (*Si plures legantur, post singulas. Post lectam Epistolam minister a dexteris surgit,*

Digitized by Google

factaque in loco reverentia accipit librum, descendit cum eo a latere et in medio exhibita reverentia ascendit modeste, librum ad alterum pulvinar transferens; si unum solummodo pulvinar sit, illud cum libro defert, et si opus, candelam.

Sacerdos. Dominus vobiscum!

Minister. Et cum spiritu tuo!

Sacerdos. Sequentia s. Evangelii etc.

Minister. (*Stans in cornu Epistolae post infimum gradum altaris cruce signat se dicens:*) Gloria tibi, Domine!

In fine Evangelii.

Minister. Laus tibi, Christe!

Sacerdos. Dominus vobiscum!

Minister. Et cum spiritu tuo!

Offertorium.

Dum sacerdos detegit calicem, surgit qui a dexteris ministrat, et exhibita reverentia amovet pulvinar, sumit vinum dextera — caveat diligenter, ne aquam, pro vino ministret — aquam sinistra tenetque ampullam vini ansula versus sacerdotem conversa eamque osculatur, cum porrigit. Interea aquam accipit dextera, vinum recipit sinistra, offertque ampullam aquae ita, ut sacerdos cochleari

Digitized by Google

commode hauriat. Depositis ampullis plicat mantile, accipit tunc sinistra pollubrum seu orbem, dextera lympham, eamque non stillatim, nec copiose, sed moderate superfundit digitis sacerdotis et signo dato mox sistit. Quod semper observandum, dum vinum aquave ministratur. Nec ampullam aequo altius elevet, nec ita demittat, ut calicem radat, sed medium observet, memor semper reverentiae exhibendae ad singulos actus. Post haec reponat pulvinar, et cortinam, si opus sit, adducat.

Sacerdos. Orate fratres!

Minister. Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiae suae sanctae.

Sacerdos. — Per omnia saecula saeculorum.

Minister. Amen.

Sacerdos. Dominus vobiscum!

Minister. Et cum spiritu tuo!

Sacerdos. Sursum corda!

Minister. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino Deo nostro!

Minister. Dignum et justum est.

Digitized by Google

Ad Sanctus

minister, qui a dexteris est, pulset ter nolulam, eamque seponat in summo gradu sacerdotem versus. Deinde surgit is, a cujus latere pendet ellychnium, quo inflammato cereum lateralem accendit. Dum sacerdos post superpositas calici manus signare incipit oblata, surgunt aequaliter ministri, ad medium conveniunt, exhibita reverentia ascendunt pariter, flectuntque proximo a celebrante gradu. Casulae oram infimam singuli tenent: qui a dexteris est, leva, qui a sinistris, dextera manu et moderate elevant, dum in genua se dimittere incipit sacrificans, moxque qui a dexteris ministrat, pulsat primo continenter, dum sacerdos flectit, dein dum hostia elevatur, ternos ictus distinguit, denique dum hostia deponitur, rursum pulsat continenter. Quae omnia in elevatione calicis quoque observantur.

Dum sacerdos profunde inclinatus osculatur altare, et ministri osculantur fimbriam casulae, simul surgunt, descendunt in planum et in medio reverentia facta locum ambo quaerunt. Caveant autem, ne unquam dorsum sacerdoti aut venerabili Sacramento obvertant.

Sacerdos. Per omnia saecula saeculorum.

Digitized by Google

Minister. Amen.

Sacerdos. Oremus, praeceptis salutaribus etc. — Pater noster etc. — Et ne nos inducas in tentationem.

Minister. Sed libera nos a malo.

Sacerdos. Per omnia saecula saeculorum.

Minister. Amen.

Sacerdos. Pax Domini sit semper vobiscum!

Minister. Et cum spiritu tuo!

(Ad „Agnus Dei" devote et animo contrito ter pectus percutiat, et ad „Domine non sum dignus" tribus singulis nolulae ictibus signum det.)

Communio.

Dum sacerdos sumpta sacra hostia detegit calicem, surgit is, qui a dexteris servit, et reverentia facta cortinam, si opus sit, reducit, ampullam solius vini manu dextera sumit tenetque ansa ad se conversa et flexis in summo altaris gradu poplitibus ob reverentiam sanguinis Christi, exspectat, donec sacerdos calicem sumere incipiat. Tunc e vestigio surgens vinum calici infundit, nec guttatim, nec effuse, sed moderate, ampulla paululum supra calicem ele-

Digitized by Google

vata et signo a celebrante dato se repente sistit. Deinde accipit aquae ampullam, levaque tenet; mox exhibita reverentia et ansam ampullae osculatus primo fundit moderate vinum super digitos sacerdotis: super, inquam, nam infusio fit ob eorum ablutionem. Post haec eadem ratione affundit aquam, donec sacerdos calice vel digitis facto indicio jubet sistere. Exhibita reverentia ampullas reponit, cortinam adducit, sumit cornu, cereum exstinguit et reverenter suo loco flectit. Interim surgit, qui ad sinistram ministrat et exhibita in medio reverentia ascendit et librum defert, ut supra in fine Epistolae, descenditque ad medium, exhibet reverentiam et aperit cancellos, si qui adsunt clausi.

Sacerdos. Dominus vobiscum!

Minister. Et cum spiritu tuo!

Sacerdos. (*Quoties concludit:*) Per omnia saecula saeculorum.

Minist. (*Toties respondet:*) Amen.

(Si lecta oratione ultima sacerdos librum relinquat apertum, qui a dexteris inservit, post „ite, Missa est“ ante datam benedictionem, eum ad latus Evangelii e vestigio deferat modo supra dicto.)

Digitized by Google

Sacerdos. „Ite, Missa est“ *vel* „Benedicamus Domino“!

Minister. Deo gratias.

(In Missis pro defunctis:)

Sacerdos. Requiescant in pace!

Minister. Amen.

Sacerdos. Benedicat vos omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

Minister. Amen.

Sacerdos. Dominus vobiscum!

Minister. Et cum spiritu tuo!

Sacerdos. Initium vel Sequentia sancti Evangelii secundum N.

Minister. Gloria tibi, Domine.

(Inchoata ultimi Evangelii lectione, qui a dexteris inservit, exhibita reverentia librum et pileum celebrantis accipit, alter ampullas. In fine ultimi Evangelii semper respondet:)

Minister. Deo gratias.

(Absoluto postremo Evangelio inservientes de genibus mysten descensurum exspectant, alter cum ampullis, alter cum libro (nisi is in altari pro sequentibus sacris relinquendus) in manu leva, dextera vero tenet pileum,

Digitized by Google

quem leviter osculatus sacerdoti porrigit, tum facta reverentia praecedit, qui fert ampullas, sequitur alter cum libro et deducunt ambo sacerdotem in sacrarium, intra ostium subsistunt ex utroque latere et transeunti se reverenter inclinant. Suis quaeque locis reponunt, juvant, si opus est, sacerdotem se exuentem, postea eidem lavanti manus alter aquam, alter linteum ministrat, flectunt et rogant benedictionem. Tum si quid sacerdos corrigendum significaverit, grato animo accipiant et studeant emendare.)

Nota. Si unus tantum ministret, is sit aut flectat ad illud latus, in quo non est repositus liber v. g. tempore Evangelii sit a cornu Epistolae, tempore Epistolae ad cornu Evangelii etc. Et in transferendo libro aliisque vices utriusque suppleat.

(Egressi sacrarium denuo reverenter adorent venerabile Sacramentum.)

Digitized by Google

3. Concio vel Exhortatio.

Concionem libenter audi, nam verbi divini audiendi desiderium praedestinationis signum est, quemadmodum reprobationis indicium est, ejusdem fastidium. „Qui ex Deo est, verba Dei audit.“ (Joan. 8.) Quia concio vel exhortatio quaedam s. Evangelii explicatio est, elementum quasi integrum ss. Missae est, omnisque fidelis obligatus, et eam saltem Dominicis et diebus festivis attente audire.

Praxis audiendi concionem vel exhortationem.

1) Praevia oratione ferventer Spiritus Sancti gratiam implora, ut verbi divini sementis in te aliisque copiosum proferas fructum.

2) Audi concionem attente, sine somno, sine oculorum evagatione, sine fabulis et nugis; haec enim condiscipulis aliisque fidelibus scandalum praebent.

3) Quod a sacro Ecclesiastice dicitur, non aliis, sed tibi ipsi applica! Si te conscientia peccati arguit, emendare statue! Si virtus laudatur, eam

Digitized by Google

assequi propone! Nunquam non fructum aliquem referre conare!

4) Non tam ad conceptus et phrases, quam ad rem ipsam attende et unum saltem alterumve punctum memoriae manda, ut domesticis referre possis!

5) Finita exhortatione tibi aliisque gratiam pete, conservandi et conferendi omnia verba haec in corde tuo fructusque proferendi.

---

4. S. Poenitentiae Sacramentum.

Nisi pridie diei festivi vel Sabbatho ante Dominicam facta sit professio peccatorum, ipso festo die seu Dominica Exhomologesis facienda eique praemittenda erit praeparatio.

a) Praxis praeparandi se ad confessionem.

I. Pete gratiam peccata cognoscendi, detestandi et rite confitendi per orationem sequentem!

Oratio praeparatoria.

Per Filii tui, omniumque Sanctorum et Angelorum merita, quaeso cle-

Digitized by Google

mentissime Deus, infunde cordi meo per gratiam Spiritus Sancti lumen, compunctionem et fontem lacrymarum, ut possim reatum meae conscientiae perfecte cognoscere, delicta facinorum meorum plenarie confiteri et devote commissa accusare, ac de commissis, omnibus dignam poenitentiam facere et de his, tua praestante misericordia, perfectam habere veniam. Amen.

Vel hymnum: „Veni Sancte Spiritus" etc. pag. 379.

II. Percurre dies ab ultima confessione elapsos et horas, a matutinis horis inchoando, et observa, in quibus deliqueris. Licebit quoque percurrere Praecepta Dei et Ecclesiae, quinque sensus, septem peccata capitalia, et quem subjungo hic catalogum peccatorum.

b) Catalogus peccatorum.

1) Peccata in Deum.

An mane et vesperi, ante et post sumptum prandium orationem intermiseris? —

Digitized by Google

An preces consuetas cum attentione, reverentia et devotione recitaveris? —

An sacro Missae sacrificio reverenter interfueris; annon in eo nugatus, fabulatus, vagatus oculis et animo fueris? —

An festis et Dominicis sacrum integrum audiveris? —

An juraveris sine necessitate et reverentia et veritate? —

An votum, si quod emisisti, servaveris? —

An in rebus adversis murmuraveris vel impatientiam prodideris?

An abusus fueris verbis sacrae Scripturae aut Ecclesiae caeremoniis in jocis scurrilibus aut turpibus? —

An in confessione et communione defectum aliquem admiseris; maxime an negligens fueris in examinanda conscientia, elicienda contritione, renovando proposito emendationis et poenitentia aliisque a Confessario injunctis implendis? —

An in concione, catechismo, sodalitate, precibus vespertinis attentus, an vero somnolentus extiteris? —

Digitized by Google

An peccatum aliquod gravius sciens volens in confessione reticueris? —

2) Peccata in Proximum.

An proximum odio persecutus sis, praesertim gravi et diuturno? —

An murmuraveris contra Superiores, Parentes, Praeceptores? —

An eos contristaveris obloquendo, non obediendo, durius respondendo? —

An eos contempseris, riseris, in odium et invidiam apud alios vocaveris, eorum famae detraxeris? —

An animi aversionem et rancorem adversus eos retinueris et quamdiu? —

An celaveris ea, quae non oportuit celari, maxime interrogatus? —

An iis aliisque surripueris aliquid et quantum? —

An eorum pecunias, ad necessaria comparanda concessas, inutiliter in ludos etc. impenderis? —

An de aliis temere suspicatus fueris, vel judicaveris? —

An ab aliquo alienus animo fueris,

Digitized by Google

an ei mortem optaveris, aut grave aliquod damnum et quodnam illud? —

An illatas injurias non tuleris, non condonaris, ultus fueris sive verbo, sive facto? —

An alios prae te contempseris, riseris, ad iracundiam provocaris? —

An aliquem verberaveris, vulneraveris, vel id tuo nomine fieri jusseris, suaseris, induxeris, factum laudaveris? —

An litigans cognomina dederis, an convitiis aliquem appetiveris? —

An inimicitias seminaveris, ad pugnam incitaveris et convitia? —

An alicui scandalum dederis, eum ad peccatum verbo vel opere provocando, occasionem peccandi ei praebendo v. g. laudando, irridendo, palpando, suadendo, approbando etc., quae peccata dicuntur aliena? —

An rem aliquam surripueris, absconderis, retinueris, quantum, quamdiu et quod damnum inde secutum, et an restitueris? —

An aliorum hortis, agris etc. damnum intuleris? —

Digitized by Google

An furti particeps fueris? —

An luseris ludis vetitis, et an ludendo fraudem adhibueris notabilem contra leges ludi et in re gravi? —

An inter ludendum altercatus, indignatus, imprecatus, vel horum causam aliis dederis? —

An injuste aliquem accusaris vel detuleris, et quod damnum inde secutum? —

An mentitus fueris, praesertim cum damno et praejudicio alterius? —

An alicujus famae detraxeris: 1) falsum crimen imponendo, 2) verum quidem, sed occultum referendo? —

An detractionibus faciles aures praebueris? —

An Praeceptoris disciplinam, scholam, convictum, collegium, hospitium graviter diffamaveris apud parentes, aut alios, vel scribendo, vel narrando? —

3) Peccata in te ipsum.

An superbus fueris, an vane te tuaque jactaveris? —

An pertinax et pervicax fueris in sententia tua? —

Digitized by Google

An invidus in alios? —

An nimis loquax, inepte laetus, scurrilis, et verba sordida, impura, et ex joco locutus fueris? —

An in studiis negligens, otiosus, tempus male impenderis, et vanis, curiosis, recreationibus immoderatis, pravis consortiis et periculosis addictus fueris? —

An comedendo et bibendo excesseris, an usque ad vomitum aut privationem usus rationis? —

An diebus prohibitis carnes comederis, aut, si aetatem jam adeptus, jejunii leges violaveris? —

An turpes cogitationes et motus carnales habueris; an iis delectaveris voluntarie, et licet opus, quod cogitabas, perpetrare nolueris? —

An turpia verba, colloquia, cantilenas animo lascivo effuderis, aut cecineris delectando te in illis carnaliter, vel taliter audiveris? —

An vero haec ipsa solum ex joco, levitate, sine delectatione, sine scandalo et periculo protuleris? Huc spe-

Digitized by Google

ctant tactus, oscula, aspectus libidinosi etc.

An libros impudicos legeris animo libidinoso, vel ex curiositate, cum periculo tamen consensus, et an eos retineas, aut aliis legendo dederis vel ostenderis? —

An turpes imagines simili modo et animo aspexeris? —

Praeterea si Paedagogus sis, aut aliud officium, statumve habeas, examina, utrum in illo deliqueris? —

Circa praedicta: -

Nota 1. Tantum tibi his eligenda et in confessione dicenda esse, quae commisisti, caeteris omissis.

Nota 2. Tunc peccatum dici deliberatum et voluntarium, quando satis clare advertimus et videmus, nos male agere, et scientes volentes peccatum cogitatione, verbo aut opere patramus. Tunc vero non esse deliberatum et voluntarium, quando advertentes voluntatem retinemus, ne consentiat et ne velit, quod est peccatum, v. g. non volo hoc aspicere, cogitare, loqui, nolo consentire etc. Si quis statim sic cogitationem excutiat, ut carbonem vel scintillam in vestem a foco immissam solemus, magni meriti

Digitized by Google

est; et actus virtutis. Si quis vero negligens sit et tardior in resistendo, aut rejiciendo, poterit veniale esse, si non consentiat.

Nota 3. Peracto examine, et observatis aut annotatis, ne oblivioni dentur, peccatis, domi ante Crucifixum, vel potius in templo coram sanctissimo Sacramento, contritionem de omnibus et singulis peccatis elice, ad quod servient orationes sequentes, ex quibus modo hanc modo illam seligere poteris pro opportunitate et gustu; vel praxis paulo inferius posita.

c) Orationes poenitentiales ante Confessionem.

I. Oratio.

Juxta exemplum s. Petri, quando quis in peccata, quae emendare statuerat, rursus incidit.

Ad te, Domine Jesu, denuo supplex revertor, qui peccando a te toties discessi. Quo enim ibo, nisi ad te? Si tu me repellis, quis me suscipiet? Si tu condemnas, a quo veniam sperabo? Firmissime quidem antehac statui, servare justificationes tuas omniaque peccata vitare, potissimum ista, — sed eheu! instabilis factus sum, et con-

Digitized by Google

cupiscentiae illecebris seductus, te iterum dereliqui. Peccavi, quid faciam? Quo me vertam miser, nisi ad te, in quo est salus, vita et resurrectio nostra? Respice in me, Domine Jesu, quemadmodum in Petrum respexisti, et miserere mei! Utinam dolorem cordis mei tot lacrymis, quot ille contestari possem. In tua misericordia, mi Jesu, quae major est, quam mea sit iniquitas, spem omnem pono. Plus tu potes dimittere, quam ego committere. Ne projicias me a facie tua, dic animae meae: „Salus tua ego sum!“ (Psal. 34, v. 3.)

II. Oratio.

Juxta exemplum s. Mariae Magdalenae.

Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte peccata mea, quibus te, amantissime Jesu, toties ad iram provocavi! Ad pedes tuos cum Magdalena provolutus, eos ex animo amplector et exosculor, tuam supplex misericordiam implorans. Parce, Domine,

Digitized by Google

parce peccatis meis! quae utinam tam largo lacrymarum imbre, quam peccatrix illa, possem eluere! Horum defectum, mi Jesu, roseo tuo, quem pro me copiosissime fudisti, sanguine compensa! A pedibus tuis non discedam, hos firmiter tenebo tanquam salutis meae ancoram, nec dimittam, donec benedixeris mihi et audiam illa summae consolationis verba: „Remittuntur tibi peccata tua.“ (Matth. 9, v. 2.)

III. Oratio.

Juxta exemplum Filii prodigi.

Pater, peccavi in coelum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Desideriis et concupiscentiis meis obtemperavi, te fidelissimo Patre contemto. Fodi mihi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas, te fonte aquae vivae derelicto. Gaudium in creaturis quaesivi, quod in te solo inveniri potest. Vere „non est pax impiis!“ Quare ad te redeo, o benignissime Pater, cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est the-

Digitized by Google

saurus. Iterum exclamo: Pater peccavi in coelum et coram te; redde mihi, obsecro, licet filii nomine indigno, gratiae tuae vestem, quam peccatis meis perdidi; restitue amoris tui annulum, quem amore creaturarum pessundedi, ut hoc ornatu in coena tua eucharistica gratiosus comparere merear, tibique aeternum conjungi. „Mihi enim adhaerere Deo bonum est.“ (Psal. 72, v. 28.)

IV. Oratio.

Juxta parabolam ovis perditae.

Erravi sicut ovis, quae periit, Pastor bone, pie Jesu; quaere servum tuum et reduc me in via mandatorum tuorum. Tu enim dixisti: „visitabo oves meas. Quod perierat, requiram, et quod abjectum erat, reducam, quod confractum, alligabo, et quod infirmum, consolidabo.“ Aspice vulnera peccatorum meorum, quorum non est numerus, et sana ea! Tuis me humeris licet indignum excipe et adduc ad gregem electorum tuorum; ibi „misericordias Domini in aeternum cantabo.“ (Psal. 88, v. 2.)

Digitized by Google

V. Oratio.

Juxta parabolam incidentis in latrones.

Me miserum! qui ab Jerusalem in Jericho descendi! Qui loco verae pacis deserto, fallaces mundi et carnis delectationes sectatus sum et in manus infernalium latronum incidi, a quibus innocentiae veste spoliatus, et ad mortem animae miserando spectaculo vulneratus sum! Propitios in me oculos converte, o Samaritane, et miserere mei, in sanguine peccatorum meorum volutantis! Non est, qui possit, aut velit misero mihi in hoc statu salutarem praebere manum praeter te, Domine Jesu. In te solo omnis vitae spes est posita, tu unicus es animae meae medicus, huic, obsecro, amoris tui vinum et misericordiae oleum infunde, et induc in vulnus sacratissimi lateris tui! „Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.“ (Psal. 131, v. 12.)

Actus contritionis.

Utinam te, Domine Deus meus, ex toto corde meo, ex toto anima mea et

Digitized by Google

ex omnibus viribus meis super omnia — quod opto — diligam! Utinam ipsum Seraphinorum amorem exaequem, in eoque aeternum persistam! Tu scis, Domine, quia amo te, magisque amare cupio, quam omnia mundi bona, quod millies malim mori, quam in talia — peccata relabi. O quam doleo, quod te, summum et amantissimum bonum meum, unquam offenderim! Utinam, quod firmissime tua fretus ope propono, te nunquam vel minimo delicto offendam! Tu enim omni amore, honore et cultu dignus es, cujus sanctissimam voluntatem in omnibus exequi cupio. Amen.

(Hic etiam recitare vales et juvabit Psalmos poenitentiales pag. 397.)

d) Praxis singularis,

se praeparandi ad Confessionem per actus fidei etc., quos tarde, meditate et affectuose elicies, ut sequitur.

Actus fidei.

Clementissime et benignissime Deus, qui pro infinita bonitate tua non vis mortem peccatoris, sed ut per fidem, spem et charitatem et poenitentiam ad te,

Digitized by Google

Deum, summum Dominum, convertatur et vivat; ego miser et infelix peccator ante thronum divinae misericordiae tuae humillime prostratus, credo mortem et damnationem aeternam et timeo. Credo vitam ac beatitudinem aeternam et spero. Credo quovis peccato mortali coelum perdi atque infernum acquiri, et horreo. Credo poenitentiae Sacramentum ac remissionem peccatorum, et unice desidero. Credo denique et profiteor, quidquid sancta mater, Ecclesia catholica, credendum proponit.

Actus spei.

Spero in infinita bonitate et misericordia sanctissimae Trinitatis, Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti. Spero in sanctissimis meritis, sacratissimis vulneribus, in dolorosissima passione, acerbissima morte Jesu Christi. Spero quoque in intercessione beatissimae Virginis et Matris Jesu Christi, Mariae, s. Angeli tutelaris mei et omnium Sanctorum, ac per illa me peccatorum veniam, gratiam et gloriam aeternam obtenturum confido.

Digitized by Google

Actus charitatis et contritionis.

Ego, idem miserabilis peccator, clementissimum Deum, qui me creavit, redemit, sanctificavit, qui mihi multoties peccanti indulgentissime pepercit, Deum, summum bonum, quia summum bonum est, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus meis supra omnia amo; et ex hoc amore supra omnia detestor universa peccata et scelera mea, et supra omnia dolenda doleo, quia Deum, summum bonum, peccatis meis, summo malo, offendi. Eodem amore propono et statuo, vitam meam cura et studio supra omnia diligentissimo emendare, ne summum et infinitum bonum amplius offendam, et quae contra infinitam et summam Dei majestatem commisi, in amaritudine animae meae confiteri et corde contrito ac humiliato poenitentiam facere.

O majestas infinita! O summa bonitas! O Deus meus et omnia! Utinam te nunquam offendissem! Doleo, doleo ex toto cordis mei affectu, quod offenderim te, summum bonum, qui me adeo

Digitized by Google

dilexisti, ut pro me, servo tuo vilissimo, mortem acerbissimam in cruce subire dignatus fueris. Ignosce, o bone Jesu, misericordiam et veniam humillime petenti! Miserere mei, peccatoris, pro quo apud Patrem tuum vox sanguinis tui interpellat!

Ignosco et ego, miserandus peccator, amore tui omnibus, qui me unquam offenderunt, et ab omnibus, quotquot unquam gravavi, scandalizavi, laesi, contristavi, contempsi aut judicavi, veniam humiliter peto, iisque pro viribus satisfacere cupio.

Respice, clementissime Deus, in divinissimam faciem, in sanctissima vulnera, acerbissimam passionem ac mortem Jesu Christi, in merita et intercessionem beatissimae Virginis Mariae, et omnium Sanctorum. Propter haec omnia, et propter infinitam misericordiam tuam miserere mei! Quidquid unquam boni feci, quidquid unquam mali passus sum, accipio de paterna manu tua, et haec omnia unio passioni ac meritis Jesu Christi, b. Mariae, semper Virgi-

Digitized by Google

nis, et omnium Sanctorum, ut per hanc conjunctionem tibi placeant; et sic placatus, Deus meus, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam et a peccatis meis munda me! Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi et malum coram te feci. Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris, Domine! Cor contritum et humiliatum da mihi, Domine, quia illud non despicies! — Omnes Sancti et Sanctae Dei intercedite pro me! Impetrate misericordiam Dei, contritionem et remissionem peccatorum, emendationem vitae, bonum usum s. Sacramenti poenitentiae et eucharistiae, judicium Dei particulare mite et clemens ac beatam aeternitatem! Adeste et auxiliamini mihi semper et ubique! Amen.

Digitized by Google

e) Septem fontes seu motiva contritionis et propositi emendationis.

(Quia in precibus, non secus ac cibis, varietas delectat et juvat, ante confessionem e septem sequentibus motivis nunc hoc, nunc illud aliquamdiu considera et expende!)

Doleo ex toto corde meo et ex tota anima mea, o Deus, de omnibus peccatis meis, notis et occultis, eademque supra omnia summe execror et detestor:

1) Quia iis te offendi, qui es Majestas infinita et ne minimo quidem peccato laedenda ob mile mundorum salutem. Quia offendi te, Deum, Patrem meum, qui es infinita Potentia, qua me ex abysso nihili eduxisti, corpore, anima, sensibus et potentiis donasti. Et ego iisdem abutens contra te rebellavi. O quanta ingratitudo!

2) Doleo de peccatis meis, quia offendi te, Fili Dei, qui es Sapientia infinita, omnia sciens, omnia penetrans, omnibus semper praesens! Et ego, te praesente et spectante, tam foede deliqui? O quanta audacia et insipientia!

Digitized by Google

3) Doleo de peccatis meis, quia offendi te, Spiritus Sancte, qui es Amor et Bonitas infinita, cujus gratiam sprevi, quem e corde meo turpiter ejeci, dando locum diabolo. O quanta perversitas et malitia!

4) Doleo de peccatis meis, quia offendi te, Jesu Christe, qui es infinita Benignitas et Clementia, qui pro me tam mira fecisti, tam dira sustinuisti, tantum sanguinis efudisti. Et ego toties sanguinem testamenti pollutum duxi, scelera et malefacta rependi. O quis furor! Quae rabies!

5) Doleo de peccatis meis, o Deus, quia offendi te, qui es infinita Justitia, qui luciferum aeterno incendio, totum mundum diluvio, Pentapolim igne sulphureo plexisti. Et ego, vermiculus, te contempsi atque ad iram et vindictam provocavi! O quanta temeritas!

6) Doleo de peccatis meis, o Deus, quia offendi te, qui es infinita Misericordia, qui me patrato primo lethali peccato mox cum diabolis ad inferni voraginem deturbare poteras, sed cle-

Digitized by Google

menter pepercisti. Et ego iterum, iterumque peccavi!

7) Doleo de peccatis meis, o Deus, quia te offendi, qui es infinita Amabilitas, infinita Suavitas, Sanctitas, Pulchritudo, Dulcedo, Perfectio, cui ego voluptatem momentaneam, lucrum exiguum, honorem evanidum perfide proposui. O quanta caecitas! O quanta stoliditas!

(Alium actum contritionis et propositi habes in examine Conscientiae in precibus quotidianis puncto 4. et 5. pag. 127—130.)

f) Praxis confessionis.

Ante confessionem.

Ingressus sacrum tribunal benedictionem pete his verbis: „Benedic Pater reverende!“ et formato signo crucis subjunge:

Confiteor Deo omnipotenti, b. Mariae, semper Virgini, omnibus Sanctis et tibi, Pater, quia peccavi nimis cogitatione verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. —

(Deinde, indicato tempore ultimae confessionis, peccata tua recense: 1) hu-

Digitized by Google

militer, ea non excusando; 2) breviter, superflua non narrando; 3) sincere, peccata non palliando; 4) honeste et clare, ut satis intelligantur; 5) integre, addendo numerum certum, vel si eum nescias, verisimilem, ita ut nullum peccatum mortale voluntarie omittas, quia hoc grande sacrilegium est, et sic denique conclude:)

De his et omnibus aliis peccatis meis doleo ex intimo corde, quod Dominum Deum, summum bonum, offenderim, ac firmissime propono, me emendare, petoque poenitentiam et absolutionem.

(Sub absolutione cogita, animam tuam mundari pretioso sanguine Jesu Christi, cujus merita per Sacramentum tibi applicantur et breviter renova actum contritionis!)

O Deus, propitius esto mihi peccatori! O quam doleo, quod te, summum bonum meum, unquam offenderim!

Post confessionem.

(Poenitentiam, tanquam a Christo injunctam libenti animo accipe, et quam primum potes, exequere, eaque peracta sic precare!)

Digitized by Google

Oratio post confessionem.

Sit tibi, Domine, obsecro, meritis b. semper Virginis Mariae et omnium Sanctorum grata et accepta ista confessio mea, et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua, et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in coelo, qui vivis et regnas, Deus, in saecula saeculorum. Amen.

g) Gratiarum actio post confessionem.

Juxta exemplum leprosi, Luc. 17. c.

Ad te, o benignissime Jesu, revertor et gratias ago, quod a foedissima peccatorum meorum lepra mundare me dignatus fueris. Sit nomen tuum, o Jesu, benedictum in saecula! Vere tu Jesus, hoc est, Salvator es, qui neminem a te quamlibet flagitiosum repellis, qui omnes serio poenitentes in gratiam recipis, et in aeternum filiorum tuorum numerum adscribis. Misericordiae tuae viscera, o Jesu, agnosco et am-

Digitized by Google

plector, meque totum servitio tuo deinceps addico. Adjuva, obsecro, imbecillitatem meam, ut nunquam, hujus tui mihi praestiti beneficii oblitus, amore ullius delectationis aut praeposteri affectus impulsu in priora peccata relabar, meque a te separem. Cor et animam meam dilectionis tuae brachiis ita tecum constringe, ut dicere cum Apostolo audeam: „Quis me separabit a charitate Christi?“ (Rom. 8, v. 35.)

h) Alia praeclara gratiarum actio post confessionem per Psalmum 102.

Benedic anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium

Digitized by Google

tuum, renovabitur ut aquilae juventus tua.

Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.

Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors.

Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est, quoniam pulvis sumus; homo, sicut foenum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in

Digitized by Google

illo, et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum, his, qui servant testamentum ejus:

Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

Dominus in coelo paravit sedem suam, et regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonis ejus.

Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Petitio auxilii ad emandandam vitam.

Largire mihi, Domine, gratiam copiosam, proposita exequendi, vitam serio emendandi, et in gratia tua usque ad mortem perseverandi, per Jesum Christum, Dominum nostrum. Amen.

(Denique a Christo tibi dici cogita:)

Vade, et jam amplius noli peccare!

I) Methodus exstirpandi vitia, et inserendi virtutes per examen particulare.

Examen particulare a s. Ignatio exacte traditum est illud, quod non, ut generale, omnia vitia simul persequitur, sed unum particulare vitium exstirpandum, vel unam virtutem inserendam suscipit. Facilius enim hostes vincit, qui successive, quam qui omnes simul aggreditur. Pro hujus praxi sequentia puncta sunt.

Praenotanda pro clariore notitia hujus examinis.

1) Scias, velim, summo studio tibi adlaborandum esse, uti et conscientiae tuae arbitris, parentibus et magistris, ut vitia et pravas inclinationes a te-

Digitized by Google

neris exstirpes, ne per actus frequentatos ita radicentur, ut in adultiore aetate difficillimum sit, ea evellere.

2) Vitia, quae per hoc examen emendari possunt, sunt: mendacia, juramenta, verba scurrilia, opera impudica, rixae, fabulae in templo, lusus vetiti, oblocutio, inobedientia, iracundia, impatientia.

3) Virtutes vero, quae per hoc examen acquirendae sunt: observatio ordinis diei, intentio pura, memoria praesentiae Dei et Angelorum, praesertim Angeli custodis, custodia oculorum, linguae, aurium, manuum, temperantia, patientia, humilitas, castitas, charitas.

4) Attamen et vitia et virtutes, non tota simul sumenda sunt, sed per partes, atque ut facilior examinis praxis evadat, nonnullarum virtutum actus hic adscribo, plures ex aliis libris aut a Confessario petes.

Actus temperantiae contra gulam.

a) Nunquam excedam in cibo et potu, multo minus ita corpus oppleam, ut gravetur et studiis ineptum reddatur.

b) Non desiderem cibos lautiores et potiones crebriores.

Digitized by Google

c) Tempus edendi certum semper observem.

d) Nimium edendi et bibendi aestum fraenem.

Actus mansuetudinis contra iram.

a) Iram externis signis non prodam.

b) Eandem in corde non foveam.

c) Non imprecer, miner, ulciscar vel noceam.

d) Inimicis bene velim et faciam, proque iis orem.

Actus humilitatis contra superbiam.

a) Me vilem, miserum et peccatorem agnoscam.

b) Me aliis non praeferam.

c) Alios et aliena non contemnam.

d) Me et mea non jactem.

e) Contemptum, Christi exemplo, patienter et libenter feram.

Actus castitatis contra luxuriam.

a) Impuras cogitationes statim expellam.

Digitized by Google

b) Nullum verbum indecens proferam, legam vel libenter audiam.

c) Oculos domi, in plateis ac templis diligentissime custodiam, ita ut nullam faciem muliebrem aut imaginem turpem fixis oculis aut morose intuear.

d) Manus caute custodiam, nec cum ulla, vel minima delectatione carnali partem corporis proprii aut alieni attingam.

e) Omnem societatem pravam, et praesertim alterius sexus, quae me ad illicita seducere posset, velut pestem fugiam.

5) Consule confessarium, vel ipse dispice, quod vitium maxime te infestet, aliosque offendat ac foras erumpat, atque illud in dies tamdiu oppugnes, donec expugnes. Aut e virtutibus praedictis selige tibi magis necessariam et exerce eam juxta sequentem praxin.

Praxis examinis particularis.

1) Mane post preces matutinas firmiter statue, hoc vitium, quod oppugnandum elegisti, omni diligentia evitare, et auxilium divinum efflagita!

2) Per diem aliquoties propositum hoc renova, et quoties impingis, mox

Digitized by Google

dolorem excita, percusso (clam aliis) pectore.

3) Sub vesperum, defectuum aut vitiosorum actuum numerum in libello vel charta annota, et cura, ut numerus defectuum in dies decrescat, virtutum vero crescat.

4) Expedit, ut ob commissos defectus aliquam tibi poenam imponas, teque quodammodo ad servandum bonum propositum adigas.

5) Quia vero sine gratia Dei ne minimum quidem vitium emendari potest, hinc saepius per diem suspirio aliquo gratiam pete, et emendato uno, ad alium progredere!

k) Septem media vincendi tentationes carnales, velut totidem clypei contra tela nequissimi ignea.

1) Fuga. „Fugite", ait Apostolus de hoc vitio. Vitanda igitur sunt: prava societas, aspectus liberior, colloquia et lectio turpis, otium, ludi vetiti, intemperantia et alia quaevis occasio.

2) Praesentia Dei. In omni tentatione mox cogita, vivaque fide dic: Deus omnia videt et cogitationes.

Digitized by Google

Judex meus mihi adest, qui potest me eodem momento, quo pecco, occidere et damnare.

3) Frequens communio, in qua Christum accipis fontem omnis sanctitatis et puritatis.

4) Confessio, eidem sacerdoti facta, singulis 8 vel 14 diebus, in qua distincte explicandum, num primo momento restiteris, an vero cum cogitatione luseris, velut cattus cum mure, nec admittendo, nec serio repellendo; an denique voluntarie admiseris seu consenseris, et hoc quoties.

5) Oratio fervens et protestatio quotidiana coram Deo, quod mori malis, quam peccare. Quotidiana beatissimae Virginis, Angeli custodis, s. Josephi, s. Aloysii, s. Stanislai invocatio.

6) Opera poenitentiae: usus crebrior lecti durioris, jejunii, orationis cum expansis manibus, vel et cilicii, sed haec omnia cum consilio confessarii. „Hoc genus daemoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejunio.“

Digitized by Google

Quare cum s. Paulo castiga corpus tuum et in servitutem redige, ne recalcitret ac rebellet, et post lapsum mox de te poenam sume!

7) Dum jam pulsari te sentis tentatione vel phantasia impura, statim pollice crucis signum cordi imprime, dicens: O Jesu, sis in corde meo, ne tentationi succumbam: malo mori, quam foedari! Si tentatio infestare te pergat, pollice et indice manus dexterae fortiter apprehendere et comprimere potes cutem manus tuae sinistrae, ut dolorem sentias, idque tam diu, donec viceris. Hoc, nota bene! probatum est. „Resistite diabolo et fugiet a vobis“, inquit s. Jacobus (c. 4.).

Digitized by Google

5. Sacra Communio.

Praenotamina.

Sacram Synaxin aditurus, ad eam te ferventissime praeparabis, et diem jam antecedentem ipsumque s. Communionis diem impendes.

a) Praxis pie communicandi.

Accessurus ad sacram synaxin cogita, te a s. Apostolo Paulo moneri his verbis: „Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat, ... qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.“ (1. Cor. c. 11.) Probatio autem haec consistit in sequentibus.

b) Pridie Communionis.

1) Desiderium fervens sacrae Communionis aliquoties per diem excita, et sub noctem in illis cogitationibus obdormisce!

2) Exactam peccatorum exhomologesin institue!

3) E libello pio nonnihil de communione lege, v. g. capitulum ex 4. libro Thomae de Kempis!

Digitized by Google

4) Si tibi suppetat, eleemosynam largire et aliquod opus misericordiae corporale vel saltem spirituale exerce, v. g. orando pro conversione infidelium, haereticorum, peccatorum, vel pro defunctis.

5) Jejuna, aut certe temperantius coena, bolos aliquot sapidiores tibi subtrahe, eo magis sapiet manna coeleste.

6) Solito ferventius preces vespertinas persolve!

7) Aliquod humilitatis vel poenitentiae opus praemitte, et modestius in omnibus te gere!

c) Ipso die Communionis.

1) Maturius alacriusque e lecto te proripe, et primam cogitationem non de alio concipe, quam de dilecto tuo, quem hodie in pectus suscipies!

2) Preces matutinas ferventius recita!

3) Per quadrantem vel semihorulam meditare de hoc mysterio et expende: quis ille sit, qui ad te venturus est; ad quem, cur? Jam eum considera ut regem, jam ut patrem, jam ut sponsum, jam ut medicum etc.; te vero ut pauperem, infirmum, miserum, aegrum etc.

Digitized by Google

4) Si meditari nescias, saltem e libello pio de hoc beneficio tarde et attente per quadrantem horae lege!

5) Desiderium et orexin coelestis hujus alimoniae in te excita saepius ingeminans:

„Veni, Domine, et noli tardare!“

Vel:

„Desidero te millies!
Mi Jesu, quando venies?
Me laetum quando facies?
Me de te quando saties?“

6) Templum ingressus sub Sacro ad actualem devotionem animum inflamma, vel secundum praxes supra positas Missam devote audiendo, vel varios variarum virtutum actus eliciendo, vel sequentes orationes attente et devote recitando.

d) Preces ante s. Communionem.

I. Oratio.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confitens misericordia et bonitate accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis cri-

Digitized by Google

4) Si tibi suppetat, eleemosynam largire et aliquod opus misericordiae corporale vel saltem spirituale exerce, v. g. orando pro conversione infidelium, haereticorum, peccatorum, vel pro defunctis.

5) Jejuna, aut certe temperantius coena, bolos aliquot sapidiores tibi subtrahe, eo magis sapiet manna coeleste.

6) Solito ferventius preces vespertinas persolve!

7) Aliquod humilitatis vel poenitentiae opus praemitte, et modestius in omnibus te gere!

c) Ipso die Communionis.

1) Maturius alacriusque e lecto te proripe, et primam cogitationem non de alio concipe, quam de dilecto tuo, quem hodie in pectus suscipies!

2) Preces matutinas ferventius recita!

3) Per quadrantem vel semihorulam meditare de hoc mysterio et expende: quis ille sit, qui ad te venturus est; ad quem, cur? Jam eum considera ut regem, jam ut patrem, jam ut sponsum, jam ut medicum etc.; te vero ut pauperem, infirmum, miserum, aegrum etc.

Digitized by Google

4) Si meditari nescias, saltem e libello pio de hoc beneficio tarde et attente per quadrantem horae lege!

5) Desiderium et orexin coelestis hujus alimoniae in te excita saepius ingeminans:

„Veni, Domine, et noli tardare!“

Vel:

„Desidero te millies!
Mi Jesu, quando venies?
Me laetum quando facies?
Me de te quando saties?“

6) Templum ingressus sub Sacro ad actualem devotionem animum inflamma, vel secundum praxes supra positas Missam devote audiendo, vel varios variarum virtutum actus eliciendo, vel sequentes orationes attente et devote recitando.

d) Preces ante s. Communionem.

I. Oratio.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confitens misericordia et bonitate accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis cri-

Digitized by Google

minibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda majestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te, fontem misericordiae, recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, et quem judicem sustinere nequeo, salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego! Scio peccata mea multa et magna, pro quibus damnari timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice in me oculis misericordiae tuae, Domine Jesu Christe, rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem! Exaudi me sperantem in te, et miserere mei, pleni miseriis et peccatis, tu, qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata! Salve, nobilis et pretiose Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei, Jesu Christi, profluens, et peccata totius mundi abluens! Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo sanguine rede-

Digitized by Google

misti! Poenitet me, peccasse, cupio emendare, quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea, ut purificatus mente et corpore digne degustare merear Sancta Sanctorum, et concede, ut sancta praelibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, bonorumque sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

II. Oratio s. Thomae Aquinatis.

Omnipotens, sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi! Accedo tanquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, coecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare

Digitized by Google

digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare coecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, ut te, panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium, tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae! Da mihi, quaeso, Dominici corporis et sanguinis non solum suscipere Sacramentum, sed et rem et virtutem Sacramenti. O mitissime Deus, da mihi, corpus unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari! O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatura in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

III. Oratio s. Bernardi ad deiparam Virginem.

Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas tua, Deo tam grata, nostrae veniam impetret vanitati ac superbiae. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et foecunditas tua gloriosa, Advocata nostra, foecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, Mediatrix nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repraesenta! Fac, o benedicta Virgo, per gratiam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut, qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes faciat nos beatitudinis et gloriae suae, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

e) Exercitium singularis devotionis,

consistens in variis virtutum actibus, ex quibus modo his modo illis pro opportunitate et gustu tuo eligere poteris.

Fides.

O Jesu, veritas et vita, fide firma credo in hoc admirabili Sacramento, quod modo suscipere intime desidero, reipsa esse Divinitatem tuam cum Potentia, Sapientia et Bonitate infinita. Credo istic vere praesentem esse sacratissimam humanitatem tuam cum omni sua perfectione et sanctitate, animam cum potentiis, cum membris corpus tuum verum et vivum, integrum et gloriosum, et hoc ipsum credo, quia tu, summa Veritas et suprema Veracitas, dixisti: Hoc est corpus meum. (Matth. 6.)

Credo itaque de hoc mysterio, o Salvator mi, humiliter et simpliciter, quidquid tu nobis revelasti et per Ecclesiam tuam credendum proposuisti. Credo idem illud, quod creditum et praedicatum est a duodecim Apostolis. Credo idem, quod creditum et conscriptum est

Digitized by Google

a quatuor Evangelistis. Credo idem, quod creditum et doctum est ultra mile et octingentos annos a s. Patribus et Ecclesiae tuae Doctoribus. Credo idem, quod creditum et sanguine confirmatum est ab innumeris tuis s. Martyribus. Credo denique idem, quod testatum, comprobatumque est a tua Omnipotentia, tot miraculis, prodigiis et signis.

Fallant igitur et fallantur sensus, quod frequens est; obstrepant et blasphement haeretici, quod detestandum est; scandalizentur cum Capharnaitis gentiles et Judaei, quod deplorandum est; ego tamen credo infallibilibus verbis tuis, o Jesu, quia tu dixisti, qui nec falli potes, nec fallere, utpote aeterna Patris Sapientia et prima Veritas! Credo, credo, credo, quidquid dixit Dei Filius, nil hoc verbo veritatis verius!

Metus reverentialis.

Majestatem et Omnipotentiam tuam considerans, o Domine, totus paveo et contremisco, nam si Oza tangens ar-

Digitized by Google

cam, Eucharistiae figuram, mox percussus interiit, quomodo ego carnem tuam, vivam omnis sanctitatis arcam, ausim ore meo impuro tangere? Israelitae, terrore perculsi, non ausi fuere montem Sinaï fumantem accedere, ut legem obtinerent, et quomodo ausim ego peccator ad montem gloriae tuae, ad omnipotentiae tuae Sacramentum appropinquare et Legislatorem meum, coeli terraeque Monarcham suscipere? Non auderem certe, o Domine, nisi tua juberet majestas, et blanda voce invitaret bonitas. Quia ergo dicis: „Venite ad me omnes!“ ecce venio, ut reficias me; quia dicis: „Sinite parvulos venire ad me!“ ecce adsum, ut me facias vere parvulum humilitate et innocentia, tuisque moribus similem reddas!

Humilitas.

Verumtamen, o Domine, vilitatem meam cogitans, totus confundor! Non sum ego angelus aut archangelus, sed homo, de humo et terrae limo formatus, et illi tremunt coram te et faciem

Digitized by Google

velant. Non sum Joannes Baptista, in utero sanctificatus, sed in iniquitate conceptus et natus; et ille indignum se reputat, ut vel corrigiam calceamenti tui solvat. Quid igitur de me sentiam? Quid agam? Ecce, Domine, me penitus abjicio et ad majestatis tuae pedes humillime prostratus indignitatem meam agnosco, et profiteor, licet mile annis me praepararem, indignus tamen essem, qui ad divinum hoc Sacramentum accederem; tu enim in eo praesens, es Dominus, ego servus, tu conditor, ego limus, tu sanctus, ego perversus. Quia tamen me invitas, et mortem minaris, nisi carnem tuam manducavero, hinc festino ad te, et quo miserior ac pauperior sum, eo magis ad fontem omnis boni propero: „Quemadmodum desiderat cervus ad fontem aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus!“ Veni, o Domine, patent penetralia cordis mei, anhelo ad te, quia amore tui langueo! Sed utinam omnium Sanctorum praeparationes ac virtutes solus haberem, ut dignior ad tantum Dominum suscipien-

Digitized by Google

dum evaderem! Ornent me, o Jesu, merita tua et virtutum decora, ut dignus sim tanta gratia!

Spes.

O Salvator mi, et spes omnium finium terrae! Tu es, Domine, spes mea a juventute mea, quid mihi negabis, qui te ipsum dabis? Cum tu promiseris: „Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum!“ ego infallibili hac promissione fretus, vi meritorum tuorum ac virtute hujus efficacissimi Sacramenti, spero a te vitam, gratiam ac gloriam sempiternam. Et quid non sperem a te? Tu solus potes dare omnia, quia super omnia potens es, tu dare vis omnia, quia infinite bonus es. Da igitur per bonitatem tuam, quae peto, o Domine! Ego infirmus sum, esto medicus et sana me; ego coecus sum, tu lumen, illumina me; ego immundus, tu fons puritatis, ablue me; ego ignorans, tu sapiens, doce me; ego tepidus, tu ignis consumens, accende me; et salva me, qui salvos facis sperantes in

te. Ego enim in te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

Charitas.

O amabilissime Jesu, quantum teneor amare te! Amo te ex toto corde, quia creasti me. Amo te ex tota anima, quia redemisti me. Amo te ex tota mente, quia sanctificasti me. Amo te denique ex omnibus viribus meis, quia pretioso corpore et sanguine tuo toties cibasti me. O amator hominum, vere amor tuus necesse est ut sit infinitus, qui ad tanta pro nobis facienda te adegit; qui eo te permovit, ut pridie, quam patereris, institueres hoc admirabile Sacramentum amoris, ut nobiscum perpetuo permaneres et intime te nobiscum conjungeres! O amor infinite, cur ego non vicissim totus ardeo amore tui? Domine, tu scis, quia amo te, et omnibus rebus antepono te, et millies amplius desidero amare te; et in signum amoris, accedo ad te, ut arctius uniar tibi. Offero tibi omnia mea, animam et vitam, corpus et cor meum, suppliciterque

Digitized by Google

peto, ut haec accipias et coelesti igne amoris tui penitus accendas!

Intentio.

Omnipotens Deus, ego peccator indignissimus suscipere volo corporis et sanguinis Filii tui Sacramentum ad laudem et gloriam supremae tuae majestatis; in memoriam passionis et mortis Jesu Christi; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi et toti Ecclesiae concessis; in propitiationem pro omnibus peccatis meis; pro salute mea et proximorum N. N., ut charitate perfecta tecum conjuncti vivamus; pro solatio quoque defunctorum N. N., ut cum Beatis in coelo te citius laudent et laudando aeternum delectent. Omnes denique intentiones, quas vel Christus Sacramentum instituens, vel ullus Sanctorum suscipiens ubi unquam praefixit, easdem et ego habere unice opto et desidero ad summam laudem et gloriam tuam. Amen.

Digitized by Google

Invocatio ss. Patronorum.

Ut autem confidentius digniusque accedam, succurrite mihi omnes sancti Patroni mei, tu praecipue sacratissima virgo Maria, quae Deum et hominem purissimis visceribus concipere et portare meruisti, impetra mihi, per amorem Filii tui, Sancti Spiritus gratiam, ut ego eum digne recipere et portare merear.

Sancte archangele Michaël, tuque, mi sancte Angele tutelaris, assiste mihi in hac hora, cumque me virtutibus et meritis destitutum videatis, vestris, obsecro, me virtutibus et meritis exornate, ne in hoc divino convivio sine veste nuptiali compaream, et velut indignus repellar.

O s. Joannes Baptista, doce me, quaeso, parare viam Domini, et hanc mihi ab Agno Dei gratiam exora, ut omnia peccata mea, etiam occulta, tollat, atque ita in sanguine Agni dealbatus purissima ejusdem carne cum gustu et fructu reficiar.

O s. Joannes Apostole, discipule,

Digitized by Google

quem diligebat Jesus, qui et in ultima coena supra pectus Domini recubuisti, per favorem et amorem hunc obtestor, impetra mihi, ut frigidum pectus meum amore Jesu ardeat et totum ejus amore colliquescat. Amen.

(NB. Non parum promovet pietatem, si tibi imagineris locum aliquem sanctum, in quo communices. Unde jam ad coenaculum sedebis in mensa cum Apostolis; jam in monte Calvariae ad pedem crucis; modo eris in antro Bethlehemitico ad praesepe Christi nascentis; alias in Nazareth, Emaus aut Bethania. Ibidem orationes praeparatorias aliasque fundes.)

f) Servanda sub ipsa Communione.

1) His, aliisque ferventibus desideriis et affectibus inflammatus, quanta potes modestia, humilitate et reverentia ad mensam eucharisticam accede, oculis demissis, manibus plicatis et erectis.

2) Sacrae mensae assistens, manibus ad pectus sub mappa complicatis, capite erecto et immoto, ore quieto, lingua ad extremum labium honeste exserta, Dominicum corpus reverenter suscipe, salivaque delibutum in pectus tuum, quam primum potes, demitte.

Digitized by Google

3) Os autem tuum, ne qua particula s. hostiae palato adhaereat, diligenter lingua ablue, factaque profunda reverentia ad locum redi.

4) Varios interim fidei, spei, charitatis et humilitatis actus exercens, jam cum s. Apostolo Thoma dic: „Dominus meus et Deus meus!" jam ad imitationem s. Elisabethae: „Unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me?" jam cum sponsa cantici canticorum: „Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam!"

g) Agenda post Communionem.

(Ubi ad locum quietum te receperis, totus cum uno Salvatore tuo, tibi intime praesente, occupatus, oculis clausis vel demissis, corde et vehementi affectu potius, quam lingua in ardentia erumpe suspiria:)

Ecce, Domine, jam habeo te, qui habes omnia; possideo te, qui potes et possides omnia; abstrahe cor meum a caeteris omnibus extra te, in quibus nil nisi vanitas et afflictio spiritus. In te uno fixum sit cor meum, in te sit requies mea, ubi est thesaurus meus, summa veritas et vera felicitas, et felix aeternitas.

Digitized by Google

Sentiat, o Domine, mens mea dulcedinem praesentiae tuae! Gustet, quam suavis sis, Domine, ut inescata amore tui nihil quaerat extra te, unde gaudeat, quia tu es gaudium cordis mei et pars mea, Deus, in aeternum.

Ecce, quod concupivi, jam video, quod speravi, jam teneo, quod desideravi, jam habeo. Mihi, adhaerere tibi, bonum est, et ponere in te, Domine, spem meam. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?

O Deus meus et omnia, absorbeat, quaeso, mentem meam vis ignita et meliflua amoris tui, ut amore tui mundo moriar, qui amore mei dignatus es in cruce mori, o Deus meus et omnia!

Suspiria pia ad Christum eucharisticum vel crucifixum.

Anima Christi sanctificet me,
Voluntas Christi inflammet me,
Intellectus Christi illuminet me,
Memoria Christi occupet me,
Appetitus Christi satiet me,
Corpus Christi pascat me!

Digitized by Google

Oculi Christi respiciant me,
Lacrimae Christi compungant me,
Aures Christi exaudiant me!
Odor Christi reficiat me,
Lingua Christi benedicat me!
Labia Christi osculentur me!
Dextera Christi protegat me,
Sinistra Christi amplexetur me!
Pedes Christi dirigant me,
Vulnera Christi sanent me!
Cor Christi abscondat me!
Humilitas Christi confundat me,
Obedientia Christi exaltet me,
Mansuetudo Christi mitiget me,
Modestia Christi componat me,
Paupertas Christi divitet me!
Jejunium Christi castificet me,
Vigiliae Christi excitent me,
Amor Christi uniat me,
Virtus Christi exornet me,
Oratio Christi defendat me!
Tristitia Christi exhilaret me,
Pavor Christi animet me,
Sudor Christi purificet me,
Sanguis Christi inebriet me!
Agonia Christi confortet me,

Digitized by Google

Flagella Christi exstimulent me,
Spinae Christi configant me,
Fatigatio Christi consoletur me,
Passio Christi satisfaciat pro me,
Crux Christi sustentet me,
Aqua lateris Christi lavet me!
Mors Christi vivificet me,
Resurrectio Christi resuscitet me,
Ascensio Christi attrahat me,
Gratia Christi deificet me,
Gloria Christi transformet me!
Judicium Christi absolvat me,
Visio Christi beatificet me!
O bone Jesu, exaudi me,
Ab hoste maligno eripe me,
Et fac me nunquam separari a te!
In hora mortis meae voca me,
Et jube me, venire ad te,
Ut cum Sanctis jugiter laudem te!
Amen, Amen, Amen.

(S. Ignatii Loy.)

Digitized by Google

h) Preces post Communionem.

I. Oratio s. Thomae Aquin. post s. Communionem.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso sanguine et corpore Filii tui, Domini nostri Jesu Christi. Te deprecor, ut haec sancta communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis! Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, charitatis et patientiae, humilitatis et obedientiae augmentatio, contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium, quam invisibilium firma defensio, motuum meorum, tam carnalium, quam spiritualium, perfecta quietatio, in te uno ac vero Deo firma adhaesio atque mei finis felix consummatio! Et precor te,

Digitized by Google

ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu Sancto Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et felicitas perfecta, per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

II. Oratio s. Bonaventurae post Communionem.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenaque et apostolica sanctissima charitate, ut langueat et liquefiat anima mea, solo semper amore et desiderio tui te concupiscat et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis; te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum,

Digitized by Google

et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae; te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei; te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquilitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea et thesaurus meus, in quo fixa et firma et immoviliter semper sit radicata mens mea et cor meum! Amen.

(Si varietas delectet, et tempus ferat, in alios affectus praeibis.)

Digitized by Google

Adoratio.

O Jesu adorande, agnosco et profiteor libens, me opus esse manuum tuarum, te vero supremum animae meae Principem, ideoque humillime te velatum adoro in terris, non secus ac Cherubim et Seraphim te revelatum adorant in coelis.

Admiratio.

O Jesu admirabilis, licet summe admirer incomprehensibilem potentiam, sapientiam et bonitatem tuam, prae omnibus tamen te nimis, quam admirabilem, reddit oculis meis tanta humilitas et teneritudo cordis tui erga nos miseros mortales, ut majestatem tuam infinitam in Sacramento abscondas, immensitatem quodammodo coarctes, et sublimitatem humilies, quo nobiscum amore uniaris. O vere stupenda Charitas! O Humilitas profunda nimis!

Aestimatio.

O Salvator inaestimabilis, quod tu divinitatem et humanitatem tuam mihi in Sacramento communices, id tanti

Digitized by Google

facio, ut omnia mundi pretiosissima, comparatione illius, velut lutum despiciam! Tu enim mihi, o Jesu, es omni melle et saccharo dulcior, omni auro pretiosior, omni honore praestantior, omnibus mundi deliciis infinite carior, quia in te uno perfectissimo sunt omnia!

Gratiarum actio.

Quas vero grates referam liberalitati tuae infinitae, o beneficentissime Jesu, pro innumeris donis tuis, praesertim bono omnium praestantissimo, Te ipso? Utinam omnia membra mea verterentur in linguas, quibus liberalitatem tuam immensam, caeterasque excellentias laudarem et depraedicarem! O servator mei, quoties respiro, toties tibi gratias agere desidero, quod esurientem animam meam corpore et sanguine tuo reficias et ad me, hominem peccatorem, divertas!

Oblatio.

Sed quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus, quae retribuisti mihi?

Digitized by Google

Quid habeo ego pauperculus, quod reddam infinitati tuae? Praebe, inquis, fili mi, cor tuum mihi! Ah, Domine, nimis id tepidum et vitiis plenum est! Emunda, orna, perfice cor meum, et libentissime totum offeram, ac cum s. Ignatio precabor: „Suscipe, Domine, universam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem, quidquid habeo et possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum! Amorem tui solum cum gratia tua mihi dona et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.“

Oratio eadem rhythmice.

1) O Deus, ego amo te,
Nam prior tu amasti me.
En, libertate privo me,
Ut sponte vinctus sequar te!

2) Nil suggerat memoria,
Nisi de tua gloria!
Nil intellectus sapiat,
Praeterquam ut te capiat!

Digitized by Google

3) Protestor, nihil velle me,
Nisi, quod sciam, velle te!
Quae dono tuo mea sunt,
Haec dono meo tua sunt.

4) A te accepi, recipe,
Quid iis velis, praecipe!
Guberna, sicut scis et vis,
Nam scio, quod amator sis!

5) Amore solo dona me,
Ut ego quoque amem te,
Et vigil et per somnia, —
Haec dando dabis omnia!

(S. Ignatii Loy.)

Dilectio.

O Jesu amabilissime, propter infinitam bonitatem et amabilitatem tuam amo te supra omnia, et omnium Sanctorum cordibus ardentissime te amare desidero, et cum s. Francisco Xayerio ad pedes tuos prostratus ex animo dico:

1) O Deus, ego amo te!
Nec amo te, ut salves me,
Aut quia non amantes te
Aeterno punis igne.

Digitized by Google

2) Tu, tu, mi Jesu, totum me
Amplexus es in cruce,
Tulisti clavos, lanceam
Multamque ignominiam,

3) Innumeros dolores,
Sudores et angores,
Ac mortem, et haec propter me
Ac pro me peccatore.

4) Cur igitur non amem te,
O Jesu amantissime!
Non, ut in coelo salves me,
Aut ne aeternum damnes me,

5) Nec praemii ullius spe,
Sed sicut tu amasti me,
Sic amo et amabo te,
Solum quia Rex meus es,
Et solum quia Deus es! Amen.

Petitio ad coelestem medicum.

O coelestis Samaritane, ecce, quot plagis peccatorum saucius, quot morbis vitiorum afflictus jaceo. Domine, si vis, potes me sanare. Nam ecce languent aures et oculi curiositatis vitio, sana me et averte, ne videam vani-

Digitized by Google

tatem. Languet lingua et os gulae et loquacitatis morbo; ah, pone custodiam ori meo et ostium circumstantiae labiis meis! Languet cor amore proprio et corpus totum peccati fomite, deprecor te, tolle illum a me! Languet anima superbiae, irae et concupiscentiae febribus, illas, obsecro, rore gratiae tuae exstingue! Languent manus, ne laborent pro gloria tua, languent pedes, ne ambulent in viis tuis; confirma me, Domine, in hac hora, et statue pedes meos tanquam cervorum, ut alacriter viam mandatorum tuorum curram, donec videam facie ad faciem in coelo, quem nunc veneror in Sacramento. Amen.

Oratio s. Thomae Aquinatis, qua virtutes hominis christiani petuntur.

Concede mihi, misericors Deus, quae tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, perfecte adimplere ad laudem et gloriam nominis tui. Ordina statum

Digitized by Google

meum, et quod a me requiris, ut faciam, tribue, ut sciam, et da exequi, sicut oportet et expedit animae meae. Da mihi, Domine Deus meus, inter prospera et adversa non deficere, ut in illis non extollar, in istis non deprimar; de nullo gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad te vel abducat a te; nulli placere appetam vel displicere timeam, nisi tibi. Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria, et cara mihi sint omnia tua propter te et tu, Deus, praeter omnia. Taedeat me gaudii, quod est sine te, nec aliquid cupiam, quod est extra te. Delectet me, Domine, labor, qui est pro te, et taediosa sit mihi omnis quies, quae est sine te. Frequenter da mihi, Domine, cor ad te dirigere, et in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, obedientem sine contradictione, pauperem sine defectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione, et hilarem sine dissolutione, tristem sine

Digitized by Google

dejectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, timentem sine desperatione, veracem sine duplicitate, operantem bona sine praesumptione, proximum corrigere sine elatione, ipsum aedificare verbo et exemplo sine simulatione. Da mihi, Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducat a te curiosa cogitatio; da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da rectum, quod nulla deorsum obliquet sinistra intentio; da invictum, quod nulla frangat tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet perversa et violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te fideliter exspectantem et fiduciam te finaliter amplectentem, tuis poenis configi per poenitentiam, tuis beneficiis uti in via per gratiam et tandem tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam, per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum. Amen.

Digitized by Google

Piae petitiones s. Augustini.

(Tarde et cum aliqua consideratione recitandae.)

Domine Jesu, noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam nisi te!
Oderim me, et amem te,
Omnia agam propter te!
Humiliem me, exaltem te,
Nihil cogitem nisi te!
Mortificem me, et vivam in te,
Quaecunque eveniant, accipiam a te!
Persequar me, sequar te,
Semperque optem, sequi te!
Fugiam me, confugiam ad te,
Ut merear, defendi a te!
Timeam mihi, timeam te,
Et sim inter electos a te!
Diffidam mihi, fidam in te,
Obedire velim propter te!
Ad nihil afficiar, nisi ad te,
Et pauper sim propter te!
Aspice me, ut diligam te,
Voca me, ut videam te,
Et in aeternum fruar te! Amen.

Digitized by Google

Oremus.

Absorbeat, quaesumus, Domine Jesu Christe, mentem meam ignita et melliflua vis amoris tui ab omnibus, quae sub coelo sunt, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno crucis mori, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio, pro qualibet re a Deo impetranda.

Omnipotens, sempiterne Deus, cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus. En ego, peccator, (qui tamen ex intimo corde nunc doleo, quod te clementissimum Patrem meum unquam offenderim) cum filiali fiducia infinitam majestatem tuam supplex accedo, ne, quaeso, me, quem ex infinita potentia tua ex nihilo creasti; ex summo amore in filium et haeredem coelestis gloriae adoptasti; ex immensa bonitate morte unigeniti et aeterni Filii tui ab aeterna

Digitized by Google

damnatione liberasti, ne, obsecro, me, cui haec omnia licet indignissimo praestitisti, a facie tua repellas. Per ineffabilem misericordiam tuam, qua gravissimos etiam peccatores, vere contritos, in momento ex abysso omnium scelerum extraxisti; per merita dilectissimi Filii tui, Domini nostri Jesu Christi; per ardentissimam Spiritus Sancti charitatem, qua te, Patrem, cum Filio complectitur; per beatissimam virginem Mariam, a te in Filiam, a Filio tuo in Matrem, a Spiritu Sancto in Sponsam ab aeterno electam, et praeordinatam; per omnium denique Angelorum et Sanctorum merita ac laudes suppliciter oro, ut miserearis mei, tuamque ad preces meas aurem inclines! O clementissime Pater, aperi thesauros inexhaustae bonitatis tuae meque infinitae liberalitatis tuae fac esse participem. Hoc peto per Jesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum. Amen.

(Licebit etiam commendare in vulnera Christi Parentes, Amicos, Bene-

Digitized by Google

factores, Infideles, Haereticos etc. juxta praxin in Missa ad „Memento pro vivis" pag. 163. et animas certorum defunctorum.)

(Si festum sit, indulgentiarum privilegio donatum, tanti thesauri participem te reddes orando „5 Pater noster et Ave Maria cum Credo" juxta mentem Pontificis maximi: pro exaltatione s. Ecclesiae, exstirpatione haeresum et concordia Principum christianorum.)

(Ubi semihoram, vel si per tempus non liceat, saltem horae quadrantem gratiarum actioni dederis, dic:)

Recedo a te paululum, mi Jesu, sed non sine te. At non dimittam te, nisi benedixeris mihi, o Benedicte in saecula!

Benedictio.

Mihi, indignissimae Creaturae suae, benedicat Deus Pater et Filius † et Spiritus Sanctus. Amen.

(Domum redux, e libello pio quidpiam leges; diem communionis reliquum modestius impendes, memor saepius tanti beneficii, et aliquem affectum ex subjunctis seliges, quem velut symbolum aut tesseram per diem crebrius repetas.)

Digitized by Google

1) Affectus pii, die Communionis usurpandi.

1) O sacrum convivium, in quo Christus sumitur!

2) Benedictum sit sanctissimum altaris Sacramentum!

3) Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit!

4) Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. O quanta felicitas!

5) Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

6) Vivat Jesus eucharisticus!

7) Amo te, Jesu suavissime, prae omni dulcedine et gustus suavitate!

8) Amo te, Jesu castissime, supra omnes carnis illecebras et voluptates!

9) Amo te, mi Jesu, prae omnibus mundi divitiis et honorum titulis!

Digitized by Google

6. Catechismus.

Ut ad catecheseos explicationem quam diligentissime semper attendas, eandemque omni conatu percipere allabores, moveat te summa illius dignitas et utilitas. Nam

1) Catechesis est doctrina Christi, omnibusque hominibus summe necessaria; Salvator noster e sinu Patris eam in mundum detulit, ipse primus et optimus magister ore suo sacrosancto docuit, tantoque labore et sudore praedicavit.

2) Hanc doctrinam suam Apostolis, in mundum universum missis, praedicandam praecepit, praesertim s. Petro, cui dixit: „Pasce agnos meos (parvulos scilicet et rudes) et oves meas!“ S. Paulus, Apostolus, „Lac, ait, vobis potum dedi,“ tanquam si nutrix foveat filios suos. Lac, inquam, doctrinae christianae, prima fidei et morum elementa!

3) Apostolorum vestigia legerunt Sancti: Ambrosius, Augustinus, Norbertus, Borromaeus, Salesius et alii, qui tam calamo, tam ore hanc Christi doctrinam magno labore fructuque exposuerunt.

Unde colligis, quanti momenti sit hujus doctrinae studium, et sane si acatholici adolescentes tam ferventer addiscunt errores, falsitates et haereses, quanta alacritate, diligentia et zelo ado-

Digitized by Google

lescentibus catholicis adnitendum est, ut veritates orthodoxas ex fundamento percipiant! Attamen pro dolor! filii tenebrarum non raro sagacitate superant filios lucis.

Nota. Inter dogmata fidei nostrae quaedam sunt scitu necessaria necessitate medii, quorum cognitio tanquam omnino necessarium medium requiritur ad aeternam salutem, et qui ea caret, salutem consequi nequit. Alia sunt scitu necessaria necessitate praecepti, quorum scientia sub peccato praecepta est, quorum tamen inscientia per invincibilem ignorantiam aut impotentiam excusari potest.

Puncta scitu necessaria necessitate medii.

1) Quod Deus unus sit omnium creator.

2) Quod idem sit omnium gubernator.

3) Quod Deus sit omnium judex.

4) Quod anima hominis sit immortalis.

5) Quod gratia Dei sit ad salutem necessaria.

6) Quod Deus sit trinus in personis.

7) Quod Filius Dei sit incarnatus et passus.

Digitized by Google

Puncta scitu necessaria necessitate praecepti.

1) Symbolum Apostolorum seu „Credo.“

2) „Pater noster.“

3) Decalogus.

4) Praecepta Ecclesiae.

5) E septem Sacramentis tria: Baptismus, Poenitentia, Eucharistia, reliqua, cum suscipiuntur.

Addunt aliqui: 6) Signum crucis et 7) Salutationem angelicam.

Utraque scientia his versibus comprehenditur:

Facta regit judex, mens immortalis, opemque, Tres caro.
Credo, Pater, mandans Ecclesia septem.

Ne igitur aeternae salutis amittendae periculo te exponas, summa cura praedicta addisce atque enitere, ut et tibi commissi eadem calleant. Hunc in finem catechismum diligenter memoriae manda! Proderit quoque locos scripturae cognoscere et memoriae mandare, quibus et in te fidem orthodoxam stabilias et praecipuas fidei controversias contra Acatholicos tuearis, et eorum ora obtures.

Digitized by Google

B. Sacra pomeridiana.

Praenotationes de lectione libri spiritualis.

Diebus festis et singulis Dominicis lectionem brevem ex libro aliquo spirituali v. g. Evangeliorum, Epistolarum, ex quatuor libris Thomae a Kempis aut aliis hujusmodi per semihorulam instituere, plurimum tibi proderit. Quam lectionem inter prandium et sacra pomeridiana, vel intervallo a sacris pomeridianis usque ad coenam, vel etiam post coenam commode instituas, attamen semihorula semper eadem, fixa et certa.

Accipe librum tanquam epistolam e coelo missam, qua tibi significat Deus, quid a te fieri velit! Ut autem cum fructu uberiore elegas, sequentia servabis:

1) Ante lectionem animo ad Deum elevato dic: „Audiam, quid loquatur in me Dominus;“ vel „Loquere, Domine, quia audit servus tuus!“

2) Lege non ex curiositate aut inani desiderio, multa sciendi, sed animo sincero, Deum clarius cognoscendi, ardentius amandi, et perfectius illi serviendi.

3) Lege tarde, non festinanter, et post periodum unam cessa paulisper et rumina, excitaque in te affectum fa-

Digitized by Google

ciendi, quod probat, vitandi, quod reprobat!

4) Stude, libros pios legere eo spiritu, quo scripti sunt, ut monet s. Bernardus. Lectionem conclude brevi aspiratione v. g.: „Domine, qui dedisti cognoscere, da etiam velle et perficere!“ —

---

1. Preces convenientes.

a) Vesperae dominicales.

Pater noster et Ave Maria.

℣. Deus, in adjutorium meum intende!

℟. Domine, ad adjuvandum me festina!

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto!

℟. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Alleluja!

(A Dominica septuagesima usque ad Feriam quintam in Coena Domini dicitur: Laus tibi, Domine, Rex aeternae gloriae!)

Digitized by Google

Antiphona. Gloria tibi Trinitas aequalis, una Deitas, et ante omnia saecula, et nunc et in perpetuum.

Psalmus 109.

Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis,

Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum!

Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuae, in splendoribus Sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non poenitebit eum: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis, confregit in die irae suae reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

Gloria Patri et Filio et Spiritui San-

Digitized by Google

cto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Antiphona repetitur: Gloria tibi Trinitas aequalis, una Deitas, et ante omnia saecula, et nunc et in perpetuum.

Antiphona. Laus et perennis gloria Deo Patri et Filio et Sancto simul Paraclito in saeculorum saecula.

Psalmus 110.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio justorum et congregatione.

Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio et magnificentia opus ejus, et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.

Memor erit in saeculum testamenti sui, virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis haereditatem gentium, opera manuum ejus veritas et judicium.

Fidelia omnia mandata ejus, con-

Digitized by Google

firmata in saeculum saeculi, facta in veritate et aequitate.

Redemptionem misit populo suo, mandavit in aeternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen ejus, initium sapientiae timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio ejus manet in saeculum saeculi.

Gloria Patri etc. sicut erat etc.

Antiphona repetitur: Laus et perennis gloria Deo Patri et Filio, Sancto simul Paraclito, in saeculorum saecula.

Antiphona. Gloria laudis resonet in ore omnium Patri genitaeque Proli, Spiritui Sancto pariter resultet laude perenni.

Psalmus 111.

Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiae in domo ejus, et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors et miserator et justus.

Digitized by Google

Jucundus homo, qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in aeternum non commovebitur.

In memoria aeterna erit justus, ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus, sperare in Domino, confirmatum est cor ejus, non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in saeculum saeculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet, desiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri etc. sicut erat etc.

Antiphona repetitur: Gloria laudis resonet in ore omnium Patri genitaeque Proli, Spiritui Sancto pariter resultet laude perenni.

Antiphona. Laus Deo Patri parilique Proli et tibi Sancte studio perenni Spiritus nostro resonet ab ore omne per aevum.

Digitized by Google

Psalmus 112.

Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini!

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, et super coelos gloria ejus.

Quis sicut Dominus, Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in coelo et in terra?

Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem

Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem.

Gloria Patri etc. sicut erat etc.

Antiphona repetitur: Laus Deo Patri parilique Proli et tibi Sancte studio perenni Spiritus nostro resonet ab ore omne per aevum.

Antiphona. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in saecula.

Digitized by Google

Psalmus 113.

In exitu Israel de Aegypto, domus Jacob de populo barbaro,

Facta est Judaea sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.

Mare vidit et fugit, Jordanis reversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium.

Quid est tibi, mare, quod fugisti, et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum?

Montes exultastis sicut arietes, et colles sicut agni ovium.

A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob,

Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam!

Super misericordia tua et veritate tua, ne quando dicant gentes: ubi est Deus eorum?

Deus autem noster in coelo, omnia, quaecunque voluit, fecit.

Digitized by Google

Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur, oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient, nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt, pedes habent, et non ambulabunt; non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis.

Domus Israel speravit in Domino, adjutor eorum et protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino, adjutor eorum et protector eorum est.

Qui timent Dominum, speraverunt in Domino, adjutor eorum et protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis.

Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.

Adjiciat Dominus super vos, super vos et super filios vestros!

Digitized by Google

Benedicti vos a Domino, qui fecit coelum et terram.

Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum,

Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc et usque in saeculum.

Gloria Patri etc. sicut erat etc.

Antiphona repetitur: Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in saecula.

Capitulum.

Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

℟. Deo gratias!

Hymnus.

Lucis Creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis novae
Mundi parans originem,

Digitized by Google

Qui mane junctum vesperi
Diem vocare praecipis,
Illabitur tetrum chaos,
Audi preces cum fletibus,

Ne mens, gravata crimine,
Vitae sit exul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seseque culpis illigat.

Coeleste pulset ostium,
Vitale tollat praemium,
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne pessimum!

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Benedictus es, Domine, in firmamento coeli,

℟. Et laudabilis et gloriosus in saecula.

Antiphona. Te, Deum Patrem ingenitum, te, Filium unigenitum, te, Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem toto corde et

Digitized by Google

ore confitemur, laudamus atque benedicimus, tibi gloria in saecula.

Canticum B. Mariae V.

Magnificat anima mea Dominum,
Et exultavit spiritus meus, in Deo salutari meo,
Quia respexit humilitatem ancillae suae; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,
Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus,
Et misericordia ejus a progenie in progenies, timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.
Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.
Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.
Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae,
Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in saecula.
Gloria Patri etc. sicut erat etc.
Antiphona repetitur: Te, Deum

Digitized by Google

Patrem ingenitum, te, Filium unigenitum, te, Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem toto corde et ore confitemur, laudamus atque benedicimus, tibi gloria in saecula.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat!

Oremus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare Unitatem, quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis, per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat!

℣. Benedicamus Domino!

℟. Deo gratias!

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace!

℟. Amen.

Digitized by Google

Pater noster et Ave Maria.

℣. Dominus det nobis suam pacem.

℟. Et vitam aeternam! Amen.

(Nunc dicere potes etiam pro tempore una ex sequentibus Antiphonis.)

b) Antiphonae de B. V. Maria.

1) Ab Adventu usque ad Purificationem.

Alma Redemptoris mater, quae pervia coeli
Porta manes, et stella maris, succurre cadenti,
Surgere qui curat, populo, tu, quae genuisti
Natura mirante tuum sanctum Genitorem.
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere!

In Adventu:

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariae,

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut, qui An-

Digitized by Google

gelo nuntiante Christi, Filii tui, incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur, per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

Post Adventum:

℣. Post partum virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix, intercede pro nobis!

Oremus.

Deus, qui salutis aeternae beatae Mariae virginitate foecunda generi humano praemia praestitisti, tribue quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere, Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum. Amen.

2) A Purificatione usque ad Pascha.

Ave Regina coelorum,
Ave Domina Angelorum!
Salve radix, salve porta,
Ex qua mundo lux est orta!

Gaude Virgo gloriosa,
Super omnes speciosa!

Digitized by Google

Vale, o valde decora,
Et pro nobis Christum exora!

℣. Dignare me, laudare te, Virgo sacrata!

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos!

Oremus.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae subsidium, ut, qui sanctae Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus, per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

3) Tempore paschali usque ad festum Ss. Trinitatis.

Regina coeli laetare, alleluja,
Quia, quem meruisti portare, alleluja,
Surrexit, sicut dixit, alleluja,
Ora pro nobis Deum, alleluja!

℣. Gaude et laetare, virgo Maria, alleluja,

℟. Quia surrexit Dominus vere, alleluja!

Oremus.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, mun-

Digitized by Google

dum laetificare dignatus es, praesta quaesumus, ut per ejus Genitricem, virginem Mariam, perpetua capiamus gaudia vitae, per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

4) A festo Ss. Trinitatis usque ad Adventum Domini.

Salve Regina, mater misericordiae,
Vita, dulcedo et spes nostra, salve!
Ad te clamamus, exules filii Evae,
Ad te suspiramus gementes et flentes
In hac lacrymarum valle.
Eja ergo, advocata nostra,
Illos tuos misericordes oculos ad nos converte,
Et Jesum, benedictum fructum ventris tui,
Nobis post hoc exilium ostende!
O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria!

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix!

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui gloriosae virginis, matris Mariae cor-

Digitized by Google

pus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante praeparasti, da, ut, cujus commemoratione laetamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur, per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum!

℟. Amen.

c) Praxis orandi Rosarium.

α) Rosarium b. Mariae virginis.

Hujus Rosarii instrumentum post crucem tria habet inter duo majora grana grana minora, quibus quinae granorum minorum decades inter grana singula majora serie junguntur.

Ad crucem dicitur „Credo", ad majora grana „Pater noster" et ad minora „Ave Maria".

1) In Rosario gaudioso.

Ad tria minora grana ante decades post „Jesus" adde:

a) Qui augeat nobis fidem.

Digitized by Google

b) Qui corroboret nobis spem.

c) Qui perficiat in nobis charitatem.

Ab Adventu usque ad Quadragesimam post „Jesus" in salutatione angelica per decades singulas adde:

In 1. Decade:

Quem Virgo concepisti.

In 2. Decade:

Quem visitando Elisabeth portasti.

In 3. Decade:

Quem Virgo genuisti.

In 4. Decade:

Quem in templo praesentasti.

In 5. Decade:

Quem in templo invenisti.

2) In Rosario doloroso.

Ad tria minora grana haec insere:

a) Qui intellectum nostrum illuminet.

b) Qui voluntatem nostram perficiat.

c) Qui memoriam nostram roboret.

A Quadragesima usque ad Pascha ad singulas decades intersere et nonnihil expende sequentia:

Digitized by Google

In 1. Decade:

Qui pro nobis sanguinem sudavit.

In 2. Decade:

Qui pro nobis flagellatus est.

In 3. Decade:

Qui pro nobis spinis coronatus est.

In 4. Decade:

Qui pro nobis crucem bajulavit.

In 5. Decade:

Qui pro nobis crucifixus est.

3) In Rosario glorioso.

Ad tria minora grana insere:

a) Qui cogitationes dirigat.

b) Qui verba moderetur.

c) Qui gubernet opera.

A Paschate usque ad Adventum ad singulas decades intersere et expende sequentia mysteria:

In 1. Decade:

Qui surrexit a mortuis.

In 2. Decade:

Qui in coelum ascendit.

In 3. Decade:

Qui Spiritum Sanctum misit.

Digitized by Google

In 4. Decade:

Qui te in coelum assumpsit.

In 5. Decade:

Qui te in coelis coronavit.

(Si senae decades adjungantur, ad bina et bina grana sextae decadis repete unum ex singulis praecedentibus mysteriis.)

β) Rosarium Ss. Trinitatis.

Hoc Rosarium, tribus constans decadibus, Dominicis et Festis in gratiarum actionem pro beneficio creationis, redemptionis et sanctificationis recitare licebit:

Ad crucem signa te et dic: „Credo“ vel: „Te, Deum, laudamus“ vel: „Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc et semper et per infinita saecula saeculorum. Amen.

Ad tria grana majora dic: „Te, Deum, Patrem ingenitum, te, Filium unigenitum, te, Spiritum Sanctum, Paraclitum; sanctam et individuam Trinitatem tum corde et ore confitemur, laudamus atque benedicimus, tibi gloria in saecula!“

Digitized by Google

Ad minora grana: Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

γ) Rosarium Ss. Sacramenti,

et „Triginta", scilicet granorum, dictum, tribus Decadibus: „Pater noster" et tribus simplicibus: „Ave Maria" cum „Credo" ad initium constat.

Post quodque „Pater noster" dicitur: „Summe laudatum et benedictum sit sanctissimum altaris Sacramentum!" Post quamque Decadem, respective post „Ave Maria", quamque Decadem concludens, fit sequens publica et demissa deprecatio contumeliarum et opprobriorum, quibus Jesus in Ss. altaris Sacramento malitia et infidelitate affectus est:

„O benignissime Domine Jesu, Mater tua sancta, omnesque sancti Angeli tui et Sancti te laudant et benedicunt propter omnem inverecundiam et omnes offensiones, quae contra te, summum bonum, ab ingratis creaturis unquam commissae sint aut aliquando committantur." Amen.

Digitized by Google

d) Rosarium angelicum,

aliud et „Triginta", scilicet granorum, nominatum. Hoc Rosarium solitum habet initium. Ad crucem dicitur: „Credo", ad grana majora: „Pater noster", ad minora autem grana: „Ave Maria". Tres vero Decades constant singulae ex uno „Ave Maria" et ex novies:

„Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus, Deus Sabaoth! Pleni sunt coeli et terra majestate tua. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum." Amen.

d) Modus singularis colendi B. V. Mariam.

1) Modus hic singularis est, B. Virginem eligere in Matrem aliquo ejus festo, et devotionem hanc singulis annis renovare, petere etiam ab eadem benedictionem mane et vesperi exemplo s. Stanislai, vultu ad aliquod praecipuorum ipsius templorum converso, ac denique singularem erga eam devotionem a Deo crebrius exorare.

2) Ejus nomen et imagines praecipuo honore prosequi, nullam ejus iconem insalutatam praeterire, gestare

Digitized by Google

etiam ejusdem imaginem e collo, exemplo Ludovici pii, et interdum saepius venerari.

3) Ecclesias B. Mariae V., etiam remotiores, devote invisere, exemplo s. Henrici imperatoris, qui quamcunque urbem ingressus primo ad B. M. V. templum, si quod erat, divertebat.

4) Rosarium B. Mariae V., quotidie recitare, quod sibi obsequium longe gratissimum esse plurimis miraculis attestata est.

5) Festis ejus novendialem praeparationem praemittere, quod, qui praestiterunt, singulari protectione sub pallio B. Mariae V. foveri s. Gertrudi in visione ostensum est.

6) Sanctos B. M. V. vel sanguine junctos, ut s. Josephum, s. Joachimum, s. Annam, ss. Joannes Baptistam et Evangelistam; vel apprime ei devotos, ut s. Bernardum, s. Hermannum, a B. Maria V. in sponsum assumptum, s. Joannem Damascenum, imaginum B. M. V. propugnatorem, s. Ildephonsum, foecundae virginitatis assertorem, speciali cultu prosequi.

7) Sodalitates ejus assidue frequentare.

8) In honorem B. Mariae V. Missas legendas curare vel legendis in ejus honorem assistere.

Digitized by Google

9) Diebus Sabbathi, honori ejus consecratis, jejunari exemplo s. Caroli Borromaei.

10) B. Mariae V. festivitatibus praemittere orationes, eleemosynas, jejunia vel alia mortificationis opera.

11) B. Mariae V. solemnitatibus sacra communione in honorem ejus refici.

12) Amore B. M. V. ab aliquo opere vitioso abstinere.

13) Semper magnifice de ea et sentire et loqui, nec quidquam ejus honori contrarium tolerare, exemplo s. Ignatii.

14) Virtutes B. Mariae V. proprias imitari: puritatem, humilitatem, obedientiam, modestiam etc.

Quae ubi praestiteris, singularem vicissim B. Mariae V. in vita protectionem, et in morte assistentiam senties, nam nullus Mariae cliens aeternum perit. (S. Bernard.)

Orationes variae ad B. V. Mariam.

1) Oratio s. Augustini ad B. Mariam Virginem.

O beata Maria, quis tibi digne valeat jura gratiarum et laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani

Digitized by Google

generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe igitur, quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa! Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis! Sit per te excusabile, quod per te ingerimus! Fiat impetrabile, quod fida mente poscimus! Accipe, quod offerimus; redona, quod rogamus; excusa, quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum! Per te speramus veniam delictorum, et in te beatissima nostrorum est exspectatio praemiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu! Sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam sanctam commemorationem. Assiste parata votis poscentium, et repende omnibus optatum effectum! Sint tibi studia, assidue orare pro populo Dei, quae meruisti,

Digitized by Google

benedicta, Redemptorem ferre mundi, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

2) Alia Oratio ad B. Mariam Virginem.

Memorare, o piissima mater Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, et tua implorantem auxilia, aut tua petentem suffragia a te esse derelictum. Ego tali animatus fiducia ad te, Virgo virginum, Maria, mater Jesu Christi, confugio, ad te venio, ad te curro, coram te gemens, peccator, et tremens assisto. Noli, o o Domina mundi, noli, aeterni verbi Mater, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi me miserum, ad te in hac lacrymarum valle clamantem! Adsis mihi, obsecro, in omnibus necessitatibus meis, nunc et semper, maxime in hora mortis meae! O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

3) Trina Salutatio B. Mariae V., a s. Mechtilde usurpata, pro impetranda felici morte.

Ave Maria etc.

O Domina mea, s. Maria, sicut Deus

Digitized by Google

Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit, ita mihi, quaeso, adsis in hora mortis, omnemque mihi contrariam potestatem a me potenter averte!

Ave Maria etc.

O Domina mea, s. Maria, sicut Filius Dei divina sua scientia et sapientia te replevit, ita, quaeso, animam meam lumine fidei in hora mortis illustra et corrobora, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur, et in perditionem seducatur.

Ave Maria etc.

O Domina mea, s. Maria, sicut Spiritus Sanctus suum amorem plene tibi infudit, ita tu in morte divini amoris dulcedinem mihi instilla, per quem omnis angor et amaritudo tollatur, et cor meum coelesti consolatione recreetur.

4) Oratio, qua B. Virgo Maria in Patronam eligitur.

Sanctissima Virgo, Mater Dei, Maria, ego N., licet undecunque, qui recipiar in numerum tuorum servorum,

Digitized by Google

indignissimus, fretus tamen tua pietate admirabili, et impulsus tibi serviendi desiderio, eligo te hodie coram castissimo sponso tuo, Josepho, et Angelo meo custode, universaque curia coelesti in meam peculiarem Dominam, Patronam et Matrem, firmiterque propono, te imposterum sequi, tibi famulari atque curare, ut ab aliis tibi quoque servitium exhibeatur. A te igitur, Mater clementissima, per sacratissimum, quem pro me Jesus Christus, filius tuus, sanguinem fudit, peto suppliciter, ut me in numerum filiorum tuorum admittere digneris, et mihi a Deo gratiam impetres, ut in cunctis meis cogitationibus, verbis et operibus ita me habeam, ut nihil unquam in me, neque Dei, neque tuis displiceat oculis, sisque memor mei in hora mortis meae. Amen.

5) Oratio pro perseverantia in cultu B. M. V. impetranda.

Deus, qui nos sub alis sanctissimae Matris Filii tui constitutos ad bravium supernae vocationis accendis, pectori-

Digitized by Google

bus nostris purificandis illabere et gratiam nobis, qua in tuo et ejusdem sacratissimae Virginis Mariae servitio perseveremus, infunde, ut protectionis tantae muniti praesidiis, quod te, Domine, donante concepimus, impleamus, et nostri propositi executores effecti, ad ea, quae perseverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus, per eundem Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

6) Petitio benedictionis.

Eja, anima mea, prosterne te ad pedes Matris tuae, Mariae, nec antea recede, quam illa tibi benedixerit. O benedicta a Deo et omnibus benedictionibus cumulata, benedic pro tua clementia et pietate afflictae animae meae, uberemque gratiam mihi a dilectissimo Filio tuo impetra, ita ipsi tibique hic in terra serviendi, ut aeternae gloriae particeps efficiar. Amen.

Digitized by Google

e) Modus singularis colendi s. Angelum custodem, vel alium Patronum.

Novem praecipua sunt officia et beneficia s. Angeli custodis, in quorum honorem multi quotidie recitant novies „Pater noster" et „Ave Maria".

Haec officia et beneficia sunt:

1) Illuminat intellectum et movet voluntatem; 2) fugat daemonem; 3) protegit in omni periculo corporis et animae; 4) impellit ad virtutes et retrahit a vitiis; 5) consolatur afflictos; 6) castigat peccantes et ad poenitentiam incitat; 7) offert Deo preces et bona opera; 8) opitulatur potissimum in mortis articulo; 9) animam ad coelum deducit.

Quinque protestationes s. Caroli Borromaei,

quotidie ab omnibus ad s. Angelum custodem faciendae.

1) In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, ego N. N., miser peccator, protestor in praesentia tua, o Angele mi custos, velle et desiderare me mori in vera fide, quam sancta Romana et Apostolica profitetur Ecclesia, nec desidero diutius vivere, quam placeat Deo, cujus voluntati me totum subjicio.

Digitized by Google

2) Protestor etiam, o mi fidelissime custos, desiderare me, sub tua protectione discedere ex hac vita cum spe divinae misericordiae sine ulla titubatione in fide, firmissime credens, unicam guttam pretiosissimi sanguinis D. N. Jesu Christi sufficientissimam esse ad salvandum totum genus humanum.

3) Similiter protestor, mi amantissime custos, petere me ex intimo corde, participem fieri misericordiae Dei, quam nulli, quantumvis gravissimo peccatori, negat; idque per merita Passionis D. N. Jesu Christi, et per virtutem pretiosissimi Sanguinis illius, ac per merita beatissimae Virginis Mariae, Angelorum et Sanctorum omnium.

4) Protestor insuper, o mi sanctissime custos, supplicare me divinae pietati, ut dignetur me recipere in numerum Electorum suorum, etiamsi oporteret me pati ob peccata mea in Purgatorio usque ad extremum judicii diem, dummodo tandem per ipsius infinitam misericordiam consequar vitam aeternam.

Digitized by Google

5) Denique protestor, o mi optime custos, te procuratorem a me constitui testamenti et ultimae voluntatis meae ad impetrandum mihi tres gratias a clementissimo D. N. Jesu Christo. Prima est, ut mihi donet unicum lacrymosum suspirium ex illis, quae habuit, dum in cruce tribus horis vivus pependit, cujus virtute mitigentur lacrymabiles singultus illi et cordis angustiae, quibus in hora mortis affligar; et ut gloriosissima mater Dei, Maria, dignetur me unico aspectu ex iis, quos ipsa sub cruce stans habuit, defigendo virgineos oculos in dilectum Filium suum, suscipiendo me in eorum numerum, qui ejus precibus et meritis in die judicii obtinebunt salutem et vitam sempiternam. Altera gratia est, ut tu mihi, fidelissime custos, in alia potissimum hora succurras, quando anima mea separabitur a corpore meo, ut inveniam benignum judicem merito flagrantissimae illius charitatis, qua paternum ipsius pectus in cruce fuit inflammatum pro salute peccatorum. Tertia demum

Digitized by Google

gratia est, ut tu idem, o mi piissime custos, animam meam ibi habeas commendatam, eamque, de ergastulo corporis egressam, Redemptori meo offeras, ut eum una tecum et cum Sanctis omnibus in coelo videam, perfecte amem et in aeternum fruar, cui sit laus, honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Pia exercitia in honorem s. Angeli custodis devote peragenda.

Singulis Annis.

In festo ipsius confiteri et communicare. Missam audire. Eleemosynam dare. Peculiares virtutum et mortificationis actus exercere. Pridie jejunare etc.

Eadem praestare convenit singulis annis eo die, quo nati sumus; tunc enim bonus Angelus coepit noster esse custos, et ex eo tempore nos semper fidelissime custodivit. Tunc maxime faciendae sunt protestationes s. Caroli Borromaei ad Angelum custodem, offerendo ipsi omnia bona proposita, et promittendo exactam obedientiam ac seriam vitae emendationem.

Singulis mensibus.

Quovis mense saltem semel in honorem Angeli custodis confiteri, commu-

Digitized by Google

nicare, audire Sacrum, peculiarem mortificationis et virtutis actum exercere. Alios quoque inducere ad ejus cultum ac venerationem etc. Visitare templum, sacellum vel altare Angeli custodis, vel alium pium locum in ejus honorem.

Singulis hebdomadis.

Offerre ipsi quavis hebdomada aliquod peculiare opus devotionis et mortificationis, et cum dies Martis ipsi ab Ecclesia dedicatus sit, et peculiaris Missa eo die ad libitum sacerdotum assignata, tunc maxime convenit, ipsi majorem cultum exhibere, orando novem „Pater noster" et „Ave Maria" in honorem novem praecipuorum beneficiorum angelicorum, visitando ejus sacellum vel alium pium locum. Legere aliquid de ss. Angelis ex pio libello.

Singulis diebus.

Quotidie, mane et vesperi potissimum se ipsi devote commendare et alias interdiu saepius, ut, cum domo egredimur, negotium aliquod aggredimur, vel tentatione aliqua pulsamur etc.

Singulis horis.

Ad horae sonitum dicere orationem jaculatoriam, v. g. „O sancte Angele, mi bone custos, defende me hac hora

Digitized by Google

et adsis mihi in mortis agonia!" *Etiam valde utiliter, et pie, et saepe coles Angelos custodes eorum, quibuscum ages et apud quos commoraris, item familiarium tuorum, amicorum, consanguineorum et illorum quoque, quibus aliqua tui cura incumbit, hi enim omnes Angeli tuorum commodorum ac salutis unice sunt studiosi, et olim in coelo intelliges, quae tibi bona procurarint, etiam cum nihil minus cogitares. Quilibet autem christianus deberet sibi procurare imaginem s. Angeli custodis, et eam vel in publico loco suspendere pro communi usu, vel privatim in libello precatorio habere, vel in cubiculo ad lectum affigere, et in omni necessitate ad Angelum custodem confugere, se ipsi commendare, et coram imagine reverentiam ipsi exhibere, osculando imaginem, inclinando caput, deponendo pileum etc.*

(Hae omnes devotiones possunt etiam erga alios sanctos v. g. Patronum nominis, Patronum menstruum aut s. Josephum exerceri, qui, quia merito singularis omnium Patronus est, praecipue veneratur.)

Digitized by Google

f) Praxis colendi Patronum menstruum.

Initio cujusque mensis elige tibi Sanctum, cujus festum per mensis decursum celebratur, quem praecipue per mensem coles. Descriptionem ejusdem vitae legendo quatuor haec puncta tibi annota:

1) Nomen Sancti et diem obitus. Hunc velut mensis Patronum, a Deo tibi assignatum, acceptabis, eundem in dies invocabis, obsequio aliquo oblato coles, et virtutes, quibus excelluit, imitari studebis, et si opportunum, ejus festum sacra communione honorabis.

2) Virtutem quampiam expressam v. g. patientiam, castitatem, modestiam, taciturnitatem etc., quam totius mensis curriculo in dies sedulo exercebis.

3) Sententiam quandam de eodem Sancto. Haec memoriae mandanda, crebro mente revolvenda, eaque ad id, quod monet, animus exstimulandus est. Unica sententia sacra maximum saepe fructum protulit.

4) Certas ad Deum preces fundes pro quibusdam subscriptis v. g. Litanias B. V. aut „5 Pater noster“ et „Ave Maria“, aut orationem aptam inter adjunctos. Hac ratione et te participem reddes precum ab aliis pro te fusarum.

Digitized by Google

Orationes ad quosdam Patronos menstruos.

1) Commendatio ad Patronum studiosorum, v. g. ad s. Hieronymum (30. Sept.), s. Ambrosium (7. Dec.), s. Augustinum (28. Aug.), s. Gregorium (12. Mart.) vel alium.

O vir ineffabilis! O virtutum vas admirabile! O diadema honoris et gloriae! O lampas praefulgida, doctrinae radiis Ecclesiam universam collustrans, sancte N., quaeso, tui servuli quamquam vilissimi recorderis, ut tuis intercessionibus a peccatis omnibus emunder, tuaque gubernatione recto tramite in studiis meis procedam, tuis defensionibus ab inimicis, mihi semper insidiantibus, protegar, tuoque sancto ductu salutis attingam portum, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

2) Ad s. Catharinam, Patronam studiosorum, vel aliam virginem mutato nomine.

Salve, s. Catharina, virgo benedicta, Regis aeterni sponsa, obsecro te, ut, quibuscunque necessitatibus et tribulationibus gravatus fuero, levamen et

Digitized by Google

auxilium praecipue in studiis meis per tuam intercessionem apud Deum accipiam. Iterum te precor, o virgo sancta Catharina, ut pro me, miserrimo peccatore, Dominum Deum orare digneris, ut misereatur mei, suamque mihi gratiam largiatur, qua carnis illecebras et mundi voluptates possim contemnere, omniaque tum animae tum corporis pericula superare, atque una tecum aeterno gaudio perfrui merear, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

3) Ad s. Patronum, cujus quis nomen habet, v. g. s. Joannem.

O gloriosissime sancte N., inter ceteros mihi dilectissime, qui mihi in sacro baptismatis fonte in Patronem datus es, in te omnem spem et confidentiam apud Deum patrocinandi colloco deprecorque, ut pedes meos dirigas in viam virtutis, pacis, prosperitatis et salutis aeternae, ut nunquam a virtutum tramite ad vitae tuae exemplar discedam. Meis quoque in periculis tam animae, quam corporis

Digitized by Google

curam et custodiam suscipe, in coelis pro me ora, in terris me doce, rege et guberna, in extremo mortis articulo succurre, et cum Jesu, Deo meo, Maria, matre ejus, novem Angelorum choris, omnibusque Sanctis, via vitae aeternae comes occurre, ut cum iis et tecum partem aeternae gloriae habere merear in coelis, per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

4) Ad s. Aloysium, exemplar studiosorum.

Sancte Aloysi, juvenis angelice, qui miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociasti, sis Patronus juventutis meae, precibusque tuis et lacrymis purissimis praesta, ut te innocentem sequar et te poenitentem imiter, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

5) Ad aliquem Martyrem, Patronum.

Beatissime martyr N., qui pro Christi nomine sanguinem tuum fudisti, intercede pro me apud Deum omnipotentem, ut precibus tuis piissimis et sanguine

Digitized by Google

tuo sancto effuso a cunctis adversitatibus liberer in corpore, et a pravis cogitationibus munder in mente, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

6) Ad aliquem Confessorem Pontificem, Patronum.

Sancte N., Confessor et Pontifex, qui Deo in vita digne meruisti famulari, tuis intercedentibus meritis ab omnibus me absolve peccatis et tutam mihi para viam in coelum, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

7) Ad alium Confessorem, non Pontificem, Patronum.

Beate N., Confessor eximie, qui splendidis emicuisti virtutibus, adesto supplicationibus meis, ut, qui meae justitiae fiduciam non habeo, tuis precibus efficacibus adjuver, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

8) Ad aliquam Virginem sanctam, Patronam.

Sancta Virgo N., purissima Dei sponsa, impetra mihi a sponso tuo

Digitized by Google

dilecto, ut vestigia tua sequi, et humilibus saltem obsequiis frequentare valeam, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

g) Praxis decendialis pietatis erga Christum crucifixum et sanctum Franciscum Xaverium.

(Decem dies assumuntur eo, quod s. Xaverius, Christo crucifixo lucrandarum gentilium animarum causa, decem annos in India strenue laboraverit. Quid autem feria sexta pietati huic destinata sit, persuasit singularis s. Xaverii in Christum patientem amor et mors ipsa Sancti, quae anno 1552 eo die accidit 2. Decembris et eadem hora, qua Christus exspiravit. Haec autem decem dierum pietas, quam plurimi efficacissimam experti sunt, institui potest:

1) ad sanitatem per Sancti intercessionem a Deo recipiendam;

2) ad statum vitae tutius eligendum;

3) ad tentationem gravem vel peccatum valde infestum superandum;

4) ad virtutem aliquam magis necessariam consequendam;

5) ad felicem mortem vel conversionem alicujus peccatoris aut haeretici obtinendam;

Digitized by Google

6) denique ad quodcumque bonum tibi, aliisve impetrandum aut malum quodvis a te aliisque propulsandum sive commune id fuerit, ut bellum, pestis etc. sive proprium.)

Praxis.

Concepta maxima in Christum, crucifixum Salvatorem nostrum, et s. Franciscum Xaverium fiducia, propositum facies, praestandi quaedam opera pia, ut efficacius id tantum assequaris. E multis pauca subjungo, quae, vel saltem aliqua eorum, per manus s. Xaverii Deo offeres verbis sequentibus.

Formula offerendi.

Omnipotens, sempiterne Deus, ego N. N., licet divino conspectu tuo indignissimus, fretus tamen pietate et misericordia tua infinita, propono *(ne quid vove, nisi consulto Confessario tuo!)*, coram sanctissima virgine Maria et s. Francisco Xaverio, Indiarum Apostolo, instituere decendialem pietatem et per decem dies Veneris cum gratia tua praestare sequentia.

Opera pia offerenda.

1) Per s. Xaverium offeram Deo sacrum.

Digitized by Google

2) Animum exhomologesi sacra expiatum epulo divino reficiam.

3) Orabo „10 Pater noster" et „Ave Maria" cum totidem „Gloria Patri" etc.

4) Recitabo Litanias de vita et passione Domini, vel de B. Maria V. vel omnibus Sanctis.

5) Legam per quadrantem vel semihoram nonnihil de passione vel vita Christi aut s. Xaverii.

6) Ad honorem Christi patientis et s. Xaverii jejunio carnem domabo.

7) Mortificabo et cavebo vitium illud, quod me maxime infestat, et virtutem contrariam exercebo.

8) Corpus opere aliquo poenoso vel humili castigabo.

9) Dabo eleemosynam indigenti, vel aliud e septem operibus misericordiae corporalibus praestabo,

10) Aut saltem unum e septem operibus misericordiae spiritualibus perficiam v. g. orando pro conversione ethnicorum, haereticorum, peccatorum vel pro fidelibus defunctis.

(Si morbus, vel causa justa die Veneris me impediat, supplebo die sequenti.)

A tua ergo immensa bonitate et clementia per Jesu Christi sanguinem et s. Xaverii intercessionem peto sup-

Digitized by Google

pliciter, ut propositum hoc benigne admittere digneris, et ut largitus es ad hoc offerendum, ita etiam ad explendum gratiam uberem largiaris.

Offero autem haec omnia eo fine, ut divina tua infinitaque liberalitas, quae in s. Xaverio tam mirifice eluxit, mihi quoque minimo famulo tuo largiter conferre dignetur.... *(Hic subjungenda, quae petis, v. g. sanitatem integram, febrisque depulsionem, si ad gloriam Dei, animaeque tuae salutem conducat.)* Utque haec obtineam, ora pro me s. Francisce Xaveri unacum beatissima virgine Maria, s. Angelo custode meo, omnibusque regnantibus Sanctis!

(Nota. 1) Utile est, propositum hoc singulis decendii feriis sextis relegere et renovare. 2) Poteris adjungere petitioni sanitatis alia spiritualia v. g. praeservationem a peccato mortali et a seductione; castitatem angelicam; donum, ferventer et attente orandi; ardentem amorem Dei et proximi etc. Ut, si sanitas tibi non expediat, divina bonitas sanitatis loco haec aliave concedat. 3) Durante hac pietate decendiali in dies et praesertim die Veneris crebra

Digitized by Google

ad s. Xaverium suspiria emittes et saepius ejus apud Christum crucifixum intercessionem et patrocinium implorabis. 4) Vesperi pro memoria et majore constantia singula praestita annotabis.)

h) Modus singularis, juvandi animas in purgatorio.

Si cum s. Christina, vulgo mirabili, vidisses immanes purgatorii cruciatus, quibus dilectae Deo animae ad tempus expiantur, hoc solo mitiores inferno, quod aeterni non sunt, certe cum eadem Beata gaudenter omne tormenti genus susciperes terrestre, quo tam afflictis, nec se ipsas juvare potentibus animabus, inter quas forsitan et tui avi, parentes, fratres, sorores, propinqui, affines, socii etc. existunt, levamen aliquod afferres. At non ardua sunt, sed levia, quae a te desiderantur, quibus non leviter eas sublevare et ingentia tibi merita comparare posses. Haec levamina sunt:

1) Ss. Missae officium pro iis offerre aut curare, ut ab aliis oblatum ad intentionem tuam ipsis applicetur. Potentissimum hoc juvandarum animarum medium, quali etiam usus quondam Judas Machabaeus in vetere testamento mittens 12 drachmas argenti Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium. (2. Mach. 12 c.)

Digitized by Google

2) Offerre pro iisdem sacram Communionem, praesertim die Communionis generalis, et plenarias indulgentias ipsis applicare.

3) Recitare in earum solatium alias preces, Rosaria, Litanias etc. „Sancta enim et salubris est cogitatio pro defunctis exorare.“ (2. Mach. 12 c.)

Franciscus Xaverius Malaccae tintinabulo cives excivit sub nocte ad orationes pro defunctis persolvendas, qui mos hodiedum ibidem viget.

4) Transeundo coemeterium defunctis requiem apprecari, dicendo: „Da requiem, Domine, cunctis hic et ubique sepultis!“ Vel: „Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace!“ Quod aliquando facienti Auberto, episcopo Cameracensi, responsum est ab incognita voce: „Amen!“

5) Bona opera vel partem satisfactoriam eis attribuere exemplo ss. Christinae, Gertrudis, Lydwinae, Theresiae, Alexandri septimi.

6) Eleemosynam dare vel procurare pro earum refrigerio: „eleemosyna enim a peccatis liberat et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam.“ (Tob. c. 12.)

7) Jejunia et alias mortificationes pias pro iis suscipere. S. Petra, soror regis Angliae, jejunabat pro solatio de-

Digitized by Google

functorum et cilicio se incingebat. P. Christophorus Mendoza M. in Paraquaria idem fecit. S. Dominicus singulis noctibus ter catena ferrea in dorsum suum saeviebat, primo quidem pro se ipso, tum pro peccatoribus in mundo degentibus, tertio pro animabus poenas in purgatorio luentibus. Juva et tu illas pro viribus tibi denegando cibum, ludum, cantum etc. omnium gratissimum, quamvis licitum! Esto misericors! Nam „beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.“

Orationes pro fidelibus defunctis.

1) Oratio pro omnibus fidelibus defunctis.

Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

2) Oratio in die depositionis (sepulturae) defuncti.

Absolve, quaesumus, Domine, animam famuli tui N., ut defunctus sae-

Digitized by Google

culo tibi vivat, et quae per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge, per Christum, Dominum nostrum. Amen.

3) Oratio in die anniversario.

Deus, indulgentiarum Domine, da animabus famulorum, famularumque tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem et luminis claritatem per Christum, Dominum nostrum. Amen.

4) Oratio pro Episcopo vel Parocho defuncto.

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum N. pontificali *(vel si Parochus: sacerdotali)* fecisti dignitate vigere, praesta quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

5) Oratio pro patre vel matre vel utroque defuncto.

Deus, qui nos patrem et matrem honorare praecepisti, miserere clementer animabus patris et matris meae, *(vel: animae patris mei N. — matris meae N.)* eorumque *(vel: ejusque)* peccata dimitte, meque eos *(vel: eum — eam)* in aeternae claritatis gaudio fac videre per Christum, Dominum nostrum. Amen.

6) Oratio pro fratribus, propinquis et benefactoribus defunctis.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut fratres *(propinquos vel benefactores)* nostros N. N., qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas per Christum, Dominum nostrum. Amen.

7) Oratio pro quodam defuncto.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam

Digitized by Google

tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui N., quam de hoc saeculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem per Christum, Dominum nostrum. Amen.

8) Oratio pro quadam defuncta.

Quaesumus, Domine, pro tua pietate miserere animae famulae tuae N. et N., et a contagiis mortalitatis exutam, in aeternae salvationis partem restitue per Christum, Dominum nostrum. Amen.

(Semper adjungitur:)

℣. Requiem aeternam dona eis *(vel: ei)*, Domine,

℟. Et lux perpetua luceat eis *(vel: ei)*.

℣. Requiescant *(vel: requiescat)* in pace.

℟. Amen.

Digitized by Google

2. *Litaniae.*

1) Litaniae Lauretanae B. Mariae Virginis.

Kyrie eleison! — Christe eleison! — Kyrie eleison!
Christe audi nos! — Christe exaudi nos!
Pater de coelis, Deus, miserere nobis!
Fili, redemptor mundi, Deus, miserere nobis!
Spiritus Sancte, Deus, miserere nobis!
Sancta Maria, ora pro nobis!

Sancta Dei genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,

} ora pro nobis!

Digitized by Google

Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,

} ora pro nobis!

Digitized by Google

Regina Virginum, ora pro nobis!
Regina Sanctorum omnium, ora pro nobis!
Regina sine labe originali concepta, ora pro nobis!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!
Christe audi nos! — Christe exaudi nos!
Kyrie eleison! — Christe eleison! — Kyrie eleison!
Pater noster etc. Ave Maria etc.

Antiphona. Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei genitrix; nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a cunctis periculis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta, domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra; tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta!

℣. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix!

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Digitized by Google

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut, qui Angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur, per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

℣. Ora pro nobis, beatissime Joseph!

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae genitricis tuae sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

2) Litaniae Sanctorum omnium.

Kyrie eleison! — Christe eleison! — Kyrie eleison!
Christe audi nos! — Christe exaudi nos!
Pater de coelis, Deus, miserere nobis!

Digitized by Google

Fili, redemptor mundi, Deus, miserere nobis!
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis!
Sancta Maria, ora pro nobis!
Sancta Dei genitrix, ora pro nobis!
Sancta Virgo virginum, ora pro nobis!
Sancte Michael, ora pro nobis!
Sancte Gabriel, ora pro nobis!
Sancte Raphael, ora pro nobis!
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis!
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate pro nobis!
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis!
Sancte Joseph, ora pro nobis!
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, orate pro nobis!
Sancte Petre, ora pro nobis!
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
} ora pro nobis!

Digitized by Google

Sancte Bartholomaee,
Sancte Matthaee,
Sancte Simon,
Sancte Thaddaee,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
} ora pro nobis!

Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate pro nobis!
Omnes sancti Discipuli Domini, orate pro nobis!
Omnes sancti Innocentes, orate pro nobis!
Sancte Stephane, ora pro nobis!
Sancte Laurenti, ora pro nobis!
Sancte Vincenti, ora pro nobis!
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate pro nobis!
Sancti Joannes et Paule, orate pro nobis!
Sancti Cosma et Damiane, orate pro nobis!
Sancti Gervasi et Protasi, orate pro nobis!
Omnes sancti Martyres, orate pro nobis!
Sancte Silvester, ora pro nobis!

Digitized by Google

Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolaë,
} ora pro nobis!

Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate pro nobis!
Omnes sancti Doctores, orate pro nobis!
Sancte Antoni, ora pro nobis!
Sancte Benedicte, ora pro nobis!
Sancte Bernarde, ora pro nobis!
Sancte Dominice, ora pro nobis!
Sancte Francisce, ora pro nobis!
Omnes sancti Sacerdotes es Levitae, orate pro nobis!
Omnes sancti Monachi et Eremitae, orate pro nobis!
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis!

Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
} ora pro nobis!

Digitized by Google

Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro nobis!
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro nobis!
Propitius esto, parce nobis, Domine!
Propitius esto, exaudi nos, Domine!
Ab omni malo, libera nos, Domine!
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A flagello terraemotus,
A peste, fame et bello,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per baptismum et sanctum jejunium tuum,
Per crucem et passionem tuam,
Per mortem et sepulturam tuam,
} libera nos, Domine!

Digitized by Google

Per sanctam resurrectionem tuam, libera nos, Domine!
Per admirabilem ascensionem tuam, libera nos, Domine!
Per adventum Spiritus Sancti, Paracliti, libera nos, Domine!
In die judicii, libera nos Domine!
Peccatores, te rogamus, audi nos!
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut dominum apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris,
Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,

} te rogamus, audi nos!

Digitized by Google

Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei,
} te rogamus, audi nos!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!
Christe audi nos! — Christe exaudi nos!
Kyrie eleison! — Christe eleison! — Kyrie eleison!
Pater noster etc.
℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.

Digitized by Google

Psalmus 69.

Deus in adjutorium meum intende, * Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur, * qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te, * et dicant semper: Magnificetur Dominus! qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum, * Deus adjuva me.

Adjutor meus et liberator meus es tu, * Domine ne moreris.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto,

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

℣. Salvos fac servos tuos,

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis,

℟. A facie inimici.

Digitized by Google

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis,

℟. Et filius iniquitatis non apponat, nocere nobis.

℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis,

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro pontifice nostro N.

℟. Dominus conservet eum et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

Digitized by Google

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto,

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cui proprium est, miserere semper et parcere: suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis elementer absolvat. —

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem, —

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias. —

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice: et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. —

Digitized by Google

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis,

℟. Et filius iniquitatis non apponat, nocere nobis.

℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis,

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro pontifice nostro N.

℟. Dominus conservet eum et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

Digitized by Google

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto,

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cui proprium est, miserere semper et parcere: suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. —

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem, —

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias. —

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice: et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. —

Digitized by Google

Omnipotens, sempiterne Deus, miserere famulo tuo, pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat. —

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. —

Ure igne Spiritus Sancti renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus. —

Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. —

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et

Digitized by Google

operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. —

Omnipotens, sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fidé et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus, ut, pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus,

℟. Amen.

℣. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

Digitized by Google

3) Litaniae sanctissimi Nominis Jesu.

Kyrie eleison! — Christe eleison! — Kyrie eleison!
Jesu audi nos! — Jesu exaudi nos!
Pater de coelis, Deus, miserere nobis!
Fili, redemptor mundi, Deus, miserere nobis!
Spiritus Sancte, Deus, miserere nobis!
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis!
Jesu, Fili Dei vivi, miserere nobis!
Jesu, splendor Patris,
Jesu, candor lucis aeternae,
Jesu, rex gloriae,
Jesu, sol justitiae,
Jesu, Fili Mariae Virginis,
Jesu amabilis,
Jesu admirabilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, pater futuri saeculi,
Jesu, magni consilii Angele,
Jesu potentissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu, mitis et humilis corde,
Jesu, amator castitatis,
} miserere nobis!

Digitized by Google

Jesu, amator noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, auctor vitae,
Jesu, exemplar virtutum,
Jesu, zelator animarum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, refugium nostrum,
Jesu, pater pauperum,
Jesu, thesaurus fidelium,
Jesu, bone pastor,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapientia aeterna,
Jesu, bonitas infinita,
Jesu, via et vita nostra,
Jesu, gaudium Angelorum,
Jesu, Rex Patriarcharum,
Jesu, Magister Apostolorum,
Jesu, Doctor Evangelistarum,
Jesu, fortitudo Martyrum,
Jesu, lumen Confessorum,
Jesu, puritas Virginum,
Jesu, corona Sanctorum omnium, } miserere nobis!
Propitius esto, parce nobis, Jesu!
Propitius esto, exaudi nos, Jesu!
Ab omni malo, libera nos, Jesu!
Ab omni peccato, libera nos, Jesu!

Digitized by Google

Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A spiritu fornicationis,
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum,
Per mysterium sanctae Incarnationis tuae,
Per nativitatem tuam,
Per infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per crucem et derelictionem tuam,
Per languores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
} libera nos, Jesu!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Jesu!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Jesu!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Jesu!
Jesu, audi nos! — Jesu, exaudi nos!

Digitized by Google

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui dixisti: Petite, et accipietis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis: quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua nunquam laude cessemus. —

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua guhernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

(Ss. D. N. Pius PP. IX. die 21. Aug. 1862 indulsit, „ut fideles utriusque sexus Dioeceseos Ratisbonensis, qui supra notatas Litanias de Ssmo Nomine Jesu, et non alias quascunque ab eis diversas, quas suprema auctoritate omnino abolevit, devote recitaverint, lucrari valeant Indulgentiam trecentorum dierum in forma Ecclesiae consueta.“)

(Litanias Ss. Nominis Jesu et in publicis conventibus piae unionis seu

Digitized by Google

Confraternitatis sacratissimi Cordis Jesu adhiberi licet, et duabus Orationibus supra positis addi potest tertia, ut sequitur.)

Oremus.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut, qui in sanctissimo Filii tui Corde gloriantes praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

Vel:

Illo nos igne, quaesumus Domine, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noster, Jesus Christus, e penetralibus Cordis sui misit in terram, et voluit vehementer accendi, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(In conventibus Confraternitatis Ssmi Nominis Jesu, tertia Oratio addi potest:)

Omnipotens, sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo: ut in nomine dilecti Filii tui mereamur

Digitized by Google

bonis operibus abundare. Per eundem, Christum, Dominum nostrum. ℟. Amen.

Invocatio divini Nominis tempore tribulationis.

Adjuva nos Deus, salutaris noster: et propter gloriam Nominis tui libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter Nomen tuum.

Psalmus 53.

Deus, in Nomine tuo salvum me fac: et in virtute tua judica me.

Deus, exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam: et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis: et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi et confitebor Nomini tuo, Domine: quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eri-

Digitized by Google

puisti me: et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

℣. Propter gloriam Nominis tui libera nos,

℟. Et propitius esto peccatis nostris propter Nomen tuum.

Oremus.

Preces populi tui, quaesumus Domine, clementer exaudi: et qui juste pro peccatis nostris affligimur, pro gloria Nominis tui misericorditer liberemur. Per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Te ergo quaesumus: tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.—

(Pius PP. IX. die 8. Nov. 1849 omnibus Christifidelibus quoties has preces corde contrito devote recitaverint, centum dierum Indulgentiam, etiam animabus in purgatorio detentis applicabilem, concessit.)

Nota. Tribus istis Litaniis antecedentibus, scilicet: Lauretanis B. Mariae Virginis, Sanctorum omnium, et sanctissimi Nominis Jesu, solis uti licet inter sacra publica Ecclesiae, aliae vero sequentes devotioni singulorum fidelium solummodo privatae deserviant.

Digitized by Google

4) Litaniae sanctissimae Trinitatis.

Kyrie eleison! — Christe eleison! — Kyrie eleison!
Pater, ex quo omnia, miserere nobis!
Fili, per quem omnia, miserere nobis!
Spiritus Sancte, in quo omnia, miserere nobis!
Sancta et individua Trinitas, unus Deus, miserere nobis!
Incomprehensibilis majestas,
Immutabilis potentia,
Infinita sapientia,
Inexhausta bonitas,
Aeterna veritas,
Rex, omnipotens Deus,
Qui solus es et unus Deus,
In quo vivimus, movemur et sumus,
Cujus majestate repleta est omnis terra,
Cui soli debetur honor et gloria,
Qui consolaris nos in tribulatione nostra,
Qui facis mirabilia magna solus,
Qui es, qui eras, et qui venturus es,
In judicio justus et terribilis,
} miserere nobis!

Digitized by Google

In regno gloriosus et admirabilis,
Pater ingenite,
Fili unigenite,
Spiritus Sancte, ab utroque procedens,
O beata Trinitas, unus Deus,
} miserere nobis!
Propitius esto, parce nobis, Domine!
Propitius esto, exaudi nos, Domine!
Ab omni malo, libera nos, Domine!
Ab omni peccato,
Ab omni infidelitate,
A mandatorum tuorum transgressione,
A bonorum tuorum contemptu,
A rerum sacrarum neglectu,
A morte perpetua,
Per omnipotentiam tuam,
Per sapientiam tuam,
Per infinitam bonitatem tuam,
Per magnam misericordiam tuam,
Per patientiam et longanimitatem tuam,
} libera nos, Domine!
Peccatores, te rogamus, audi nos!
Ut te Deum verum semper et ubique confiteri nobis dones, te rogamus, audi nos!

Digitized by Google

Ut te Deum unum in Trinitate venerari et Trinitatem in unitate adorare concedas,
Ut te toto corde diligere, nobis largiri digneris,
Ut populum sancto tuo nomini sacratum conservare et salvare digneris,
Errantibus, ut in viam possint redire justitiae, concedere digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
} te rogamus, audi nos!

O beata Trinitas, libera nos!
O beata Trinitas, salva nos!
O beata Trinitas, vivifica nos!
Kyrie eleison! — Christe eleison! — Kyrie eleison!
Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu,

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Digitized by Google

℣. Benedictus es, Domine, in firmamento coeli,

℟. Et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

℣. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus,

℟. Et metuant eum omnes fines terrae.

Oremus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem, quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis, per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Benedicat nos divina Majestas et una Deitas:

Pater et Filius † et Spiritus Sanctus! Amen.

Digitized by Google

5) Litaniae vitae et passionis Jesu Christi.

Kyrie eleison! — Christe eleison! — Kyrie eleison!
Christe audi nos! — Christe exaudi nos!
Pater de coelis, Deus, miserere nobis!
Fili, redemptor mundi, Deus, miserere nobis!
Spiritus Sancte, Deus, miserere nobis!
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis!
Jesu, sapientia aeterna, miserere nobis!
Jesu, de Virgine Maria nate,
Jesu, a tua genitrice adorate,
Jesu, pannis involute,
Jesu, in praesepio reclinate,
Jesu, ubere virgineo lactate,
Jesu, a pastoribus in praesepio cognite,
Jesu, per circumcisionem sub lege facte,
Jesu, a Magis adorate,
Jesu, in templo praesentate,
Jesu, in Aegyptum delate,
Jesu, ab Herode ad necem quaesite,
Jesu, in Nazareth nutrite,
} miserere nobis!

Digitized by Google

Jesu, in templo invente,
Jesu, parentibus subdite,
Jesu, a Joanne baptizate,
Jesu, in deserto tentate,
Jesu, cum hominibus conversate,
Jesu, gratis odio habite,
Jesu, contumeliis vexate,
Jesu, in monte coram patribus transfigurate,
Jesu, rex mitis Hierosolymam ingresse,
Jesu, prae compassione lacrymate,
Jesu, triginta argenteis vendite,
Jesu, ad discipulorum pedes inclinate,
Jesu, in oratione prostrate,
Jesu, in agonia sanguineo sudore perfuse,
Jesu, ab Angelo confortate,
Jesu, osculo a Juda tradite,
Jesu, a ministris ligate,
Jesu, a discipulis derelicte,
Jesu, Annae et Cayphae praesentate,
Jesu, alapa a ministro percusse,
Jesu, a falsis testibus accusate,
Jesu, reus mortis judicate,

} miserere nobis!

Digitized by Google

Jesu, in faciem conspute,
Jesu, oculis velate,
Jesu, colaphis caese,
Jesu, a Petro negate,
Jesu, vinctus Pilato tradite,
Jesu, ab Herode sprete et illuse,
Jesu, veste alba indute,
Jesu, Barabbae postposite,
Jesu, flagellis caese,
Jesu, propter scelera nostra attrite,
Jesu, quasi leprosus reputate,
Jesu, veste purpurea indute,
Jesu, spinis coronate,
Jesu, arundine percusse,
Jesu, a Judaeis ad crucem postulate,
Jesu, morte turpissima condemnate,
Jesu, voluntati Judaeorum tradite,
Jesu, crucis pondere gravate,
Jesu, tanquam ovis ad occisionem ducte,
Jesu, vestibus exute,
Jesu, clavis in cruce confixe,
Jesu, propter iniquitates nostras vulnerate,
Jesu, pro inimicis Patrem deprecate,
Jesu, cum iniquis reputate,

} miserere nobis!

Digitized by Google

Jesu, in cruce blasphemate et illuse,
Jesu, a latrone convitiis lacessite,
Jesu, latroni poenitenti paradisum pollicite,
Jesu, qui Joannem matri tuae in filium commendasti,
Jesu, te a Patre derelictum attestate,
Jesu, felle et aceto in siti potate,
Jesu, consummata omnia de te scripta testate,
Jesu, spiritum in manus Patris commendans,
Jesu, usque ad mortem crucis obediens facte,
Jesu, lancea transfixe,
Jesu, propitiatio nobis facte,
Jesu, de cruce deposite,
Jesu, gloriose a mortuis resurgens,
Jesu, in coelum levate,
Jesu, noster apud Patrem advocate,
Jesu, Spiritum Paraclitum discipulis elargite,
Jesu, matrem super choros Angelorum exaltans,

} miserere nobis!

Digitized by Google

Jesu, vivos et mortuos judicature, miserere nobis!
Propitius esto, parce nobis, Domine!
Propitius esto, exaudi nos, Domine!
Ab omni malo, libera nos, Domine!
Ab omni peccato,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A peste, fame et bello,
A cunctis mentis et corporis periculis,
A morte perpetua,
Per mundissimam conceptionem tuam,
Per miraculosam nativitatem tuam,
Per humilem circumcisionem tuam,
Per baptismum et sanctum jejunium tuum,
Per labores et vigilias tuas,
Per dolorosam flagellationem et coronationem tuam,
Per sitim, lacrymas et nuditatem tuam,
Per pretiosam mortem et crucem tuam,

libera nos, Domine!

miserere nobis!

Digitized by Google

Per gloriosam resurrectionem et ascensionem tuam, libera nos, Domine!
Per missionem Spiritus Sancti, Paracliti, libera nos, Domine!
In die judicii, libera nos, Domine!
Peccatores, te rogamus, audi nos!
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut gratiam Spiritus Sancti cordibus nostris clementer infundere digneris,
Ut societates in tuo sancto nomine congregatas conservare et amplificare digneris,
Ut nobis veram pacem, humilitatem et caritatem largiri digneris,
Ut in gratia et sancto servitio tuo perseverantiam nobis dare digneris,
Ut nos ab immundis cogitationibus et daemonum tentationibus et damnatione perpetua liberare digneris,

} te rogamus, audi nos!

Digitized by Google

Ut nos collegio Sanctorum tuorum sociare digneris, te rogamus, audi nos!
Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!
Christe audi nos! — Christe exaudi nos!
Kyrie eleison! — Christe eleison! — Kyrie eleison!
Pater noster etc.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi,

℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

℣. Reminiscere miserationum tuarum, Domine,

℟. Et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt.

℣. Vide humilitatem meam et laborem meum,

℟. Et dimitte universa delicta mea.

Digitized by Google

℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas, per Dominum nostrum etc.

℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace!
℟. Amen.

6) Litaniae de sanctissimo Sacramento.

Kyrie eleison! — Christe eleison! — Kyrie eleison!
Christe audi nos! — Christe exaudi nos!
Pater de coelis, Deus, miserere nobis!
Fili, Redemptor mundi, Deus, miserere nobis!
Spiritus Sancte, Deus, miserere nobis!

Digitized by Google

Sancta Trinitas, unus Deus,
Panis vive, qui de coelo descendisti,
Deus abscondite et Salvator,
Frumentum electorum,
Vinum, germinans virgines,
Panis pinguis et deliciae regum,
Juge sacrificium,
Oblatio munda,
Agnus absque macula,
Mensa purissima,
Angelorum esca,
Manna absconditum,
Memoria mirabilium Dei,
Panis supersubstantialis,
Verbum caro factum,
Habitans in nobis,
Hostia sancta,
Calix benedictionis,
Mysterium fidei,
Praecelsum et venerabile Sacramentum,
Sacrificium omnium sanctissimum,
Vere propitiatorium pro vivis et defunctis,
Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur,

} miserere nobis!

Digitized by Google

Stupendum supra omnia miraculum,
Sacratissima Dominicae passionis commemoratio,
Donum transcendens omnem plenitudinem,
Memoriale praecipuum divini amoris,
Divinae affluentia largitatis,
Sacrosanctum et augustissimum mysterium,
Pharmacum immortalitatis,
Tremendum et vivificum Sacramentum,
Panis omnipotentia Verbi caro factus,
Incruentum sacrificium,
Cibus et conviva,
Dulcissimum convivium, cui assistunt angeli ministrantes,
Sacramentum pietatis,
Vinculum caritatis,
Offerens et oblatio,
Spiritualis dulcedo, in proprio fonte gustata,
Refectio animarum sanctarum,
Viaticum in Domino morientium,

miserere nobis!

Digitized by Google

Pignus futurae gloriae, miserere nobis!
Propitius esto, parce nobis, Domine!
Propitius esto, exaudi nos, Domine!
Ab indigna Corporis et Sanguinis tui susceptione, libera nos, Domine!
A concupiscentia carnis,
A concupiscentia oculorum,
A superbia vitae,
Ab omni peccandi occasione,
Per desiderium illud, quo hoc pascha cum discipulis manducare desiderasti,
Per summam humilitatem, qua discipulorum pedes lavasti,
Per ardentissimam caritatem, qua hoc divinum Sacramentum instituisti,
Per sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in altari reliquisti,
Per quinque vulnera hujus tui Corporis sacratissimi, quae pro nobis suscepisti,
} libera nos, Domine!
Peccatores! te rogamus, audi nos!
Ut in nobis fidem, reverentiam et devotionem hujus admirabilis Sacra-

Digitized by Google

menti augere et conservare digneris,
Ut ad frequentem usum Eucharistiae per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris,
Ut nos ab omni haeresi, perfidia ac cordis caecitate liberare digneris,
Ut sanctissimi hujus Sacramenti pretiosos et coelestes fructus nobis impertiri digneris,
Ut in hora mortis nostrae hoc coelesti viatico nos confortare et munire digneris,
Fili Dei,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!
Christe audi nos! — Christe exaudi nos!
Pater noster etc.

te rogamus, audi nos!

℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

7) Litaniae pro fidelibus defunctis.

„Sancta et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.“ (II. Mach. 12, 46.)

Kyrie eleison! — Christe eleison! — Kyrie eleison!
Christe audi nos! — Christe exaudi nos!
Pater de coelis, Deus, miserere omnium fidelium defunctorum!
Fili, Redemptor mundi, Deus, miserere omnium fidelium defunctorum!
Spiritus Sancte, Deus, miserere omnium fidelium defunctorum!
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere omnium fidelium defunctorum!
Sancta Maria, ora pro fidelibus defunctis!

Digitized by Google

Sancta Dei Genitrix, ora pro fidelibus defunctis!

Sancta Virgo virginum, ora pro fidelibus defunctis!

Sancte Michael, ora pro fidelibus defunctis!

Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro fidelibus defunctis!

Sancte Joannes Baptista, ora pro fidelibus defunctis!

Sancte Joseph, ora pro fidelibus defunctis!

Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, orate pro fidelibus defunctis!

Sancte Petre, ora pro fidelibus defunctis!

Sancte Paule, ora pro fidelibus defunctis!

Sancte Joannes, ora pro fidelibus defunctis!

Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate pro fidelibus defunctis!

Sancte Stephane, ora pro fidelibus defunctis!

Sancte Laurenti, ora pro fidelibus defunctis!

Omnes sancti Martyres, orate pro fidelibus defunctis!

Digitized by Google

Sancte Gregori, ora pro fidelibus defunctis!
Sancte Ambrosi, ora pro fidelibus defunctis!
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate pro fidelibus defunctis!
Sancta Maria Magdalena, ora pro fidelibus defunctis!
Sancta Catharina, ora pro fidelibus defunctis!
Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro fidelibus defunctis!
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro fidelibus defunctis!
Propitius esto, parce eis, Domine!
Propitius esto, exaudi nos, Domine!
Ab omni malo, libera eos, Domine!
Ab ira tua,
A flamma ignis,
A regione umbrae mortis,
Per admirabilem conceptionem tuam,
Per nativitatem tuam,
Per dulcissimum nomen tuum,
Per multitudinem miserationum tuarum,
} libera eos, Domine!

Digitized by Google

Per acerbissimam passionem tuam, libera eos, Domine!
Per sanctissima vulnera tua, libera eos, Domine!
Per ignominiosam mortem, qua nostram moriendo destruxisti, libera eos, Domine!
Peccatores! te rogamus, audi nos!
Qui peccatricem absolvisti et latronem exaudisti,
Qui salvandos salvas gratis,
Ut parentes, propinquos et benefactores nostros ab omnibus peccatis et poenis suis absolvas,
Ut omnium fidelium defunctorum, quorum specialis memoria in terris non habetur, meminisse et miserere digneris,
Ut omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis indulgeas,
Ut luctum eorum in gaudium convertas,
Ut desiderium ipsorum adimplere digneris,
Ut facias eos plenius benedicere

} te rogamus, audi nos!

Digitized by Google

te, et sacrificium tibi laudis tuae offerre, te rogamus, audi nos!
Ut eos in tuorum societate constituas electorum, te rogamus, audi nos!
Fili Dei, te rogamus, audi nos!
Fons pietatis, te rogamus, audi nos!
Qui claves habes mortis et inferni, te rogamus, audi nos!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam!
Christe audi nos! — Christe exaudi nos!
Kyrie eleison! — Christe eleison! — Kyrie eleison!

℣. A porta inferi,
℟. Erue, Domine, animas eorum.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali seu sacer-

Digitized by Google

dotali fecisti dignitate vigere, praesta quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur, qui vivis et regnas, Deus, in saecula saeculorum. Amen.

Pro uno defuncto.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui N., quam de hoc saeculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem.

Digitized by Google

Pro una defuncta.

Quaesumus, Domine, pro pietate tua, miserere animae famulae tuae N., et a contagiis mortalitatis exutam in aeternae salvationis partem restitue, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Indulgentiae pro fidelibus defunctis.[1])

Psalmus 129. „De profundis" sub prima nocturna.[2])

P. P. Clemens XII. primus, ut fideles ad animas in purgatorio juvandas incitaret, Brevi: „Coelestes Ecclesiae thesauros" d. d. 14. Aug. 1736 omnibus fidelibus indulgentiam 100 dierum impertivit toties, quoties ad campanae sonum circa primam horam nocturnam genuflexi Psalmum 129. „De profundis" et in fine „Requiem aeternam" devote recitaverint. Iis vero, qui hanc piam exercitationem totum per annum hora indicata fecerint, semel per annum quovis die, quo confessi et sacratissimo Corpore Christi refecti fuerint, indulgentiam plenariam concessit. Qui tamen Psalmum 129. „De profundis" memoriter recitare nesciant, easdem lucrari possunt indulgentias, si „Pater noster"

---

[1]) Collectio piorum oper. et prec. auct. Al. Principalli; translat. a M. Haringer. Ratisbonae, G. J. Manz.

[2]) Prima nocturna i. e. hora post solis occasum proxima.

Digitized by Google

et „Ave Maria“ cum „Requiem aeternam“ semel oraverint.

Easdem indulgentias lucrari posse fideles, idem P. P. Clemens XII. d. d. 12. Dec. 1736 declaravit, si Psalmum „De profundis“ etc. recitaverint, etiamsi quadam in ecclesia vel quodam in loco consuetudo vigeret, non sub eadem prima nocturna, sed antea vel postea, signum dari campana ad preces pro fidelibus defunctis.

Pius P. P. VI. rescripto d. d. 18. Martii 1781 easdem indulgentias omnibus impertivit fidelibus existèntibus in locis, ubi hoc campanae signum minime datur, siquidem circiter primam nocturnam Psalmum „De profundis“ cum „Requiem aeternam“ vel „Pater noster“ etc. recitaverint. — (Ad commoditatem hic sequantur:)

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: * Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Digitized by Google

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem aeternam dona eis, Domine * et lux perpetua luceat eis.

Requiescant in pace. — Amen.

(Concludatur:)

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine,

℟. Et lux perpetua luceat eis.

Digitized by Google

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

Quinque „Pater noster“ et „Ave Maria“ cum versiculo „Te ergo“ etc.

Brevi d. d. 7. Febr. 1817 (cujus originale in Archivio capituli Arrezzensis asservatur), Pius P. P. VII. indulgentiam 300 dierum omnibus impertivit Christifidelibus, qui animo contrito et devoto passionem D. N. J. Ch. contemplantes quinquies „Pater noster“ et „Ave Maria“ pro requie fidelium defunctorum recitaverint cum versiculo sequenti:

℣. Te ergo quaesumus: tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

Vel:

„Rogamus te, Pater aeterne, pro animabus famulorum famularumque tuarum, quas sanguine Jesu redemisti.“

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine,

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

Iis vero, qui istam piam exercitationem quotidie per unum mensem fecerint, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum concessit quolibet die cujusque mensis lucrandam, quo post

Digitized by Google

confessionem contritam et Ss. Communionem pro s. ecclesia et requie aeterna defunctorum oraverint.

---

3. *Hymni.*

1) De adventu Domini.

Creator alme siderum,
Aeterna lux credentium,
Jesu, redemptor omnium,
Intende votis supplicum.

Qui, daemonis ne fraudibus
Periret orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus es.

Commune qui mundi nefas
Ut expiares, ad crucem
E Virginis sacrario
Intacta prodis victima.

Cujus potestas gloriae
Nomenque cum primum sonat,
Et coelites, et inferi
Tremente curvantur genu.

Te deprecamur ultimae
Magnum diei Judicem:

Digitized by Google

Armis supernae gratiae
Defende nos ab hostibus.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.
(Ex Breviario rom.)

2) De nativitate D. N. Jesu Christi.

Coelo rores spargunt flores,
Et terras inebriant,
Dulce melos implet coelos,
Angeli conjubilant.

Rident sata, virent prata
Nostro Regi parvulo,
Gaudent montes, saltant fontes
Magno mundi Domino.

Mater plorat, cum adorat
Deum factum hominem,
Natus ridet, quando videt
Charam Matrem Virginem.

Nostrum pectus Christo lectus,
Ah! sit cor praesepium,
Deo plenum caro foenum,
Ah! sit pectus stabulum.

Digitized by Google

Christus natus, nobis datus
Ex intacta Virgine,
Exultemus et sonemus:
Jesus natus hodie!

Piae mentes, omnes gentes
Laeto corde plaudite!
Jesu nato, nobis dato,
Alleluja canite!

In Bethlehem transeamus
Amoris gressibus,
Et natum videamus
Mentis excessibus!

Jam dudum exoptate,
Jesu dulcissime,
Cunctis desiderate,
Salve gratissime!

Ergo rex saeculorum,
Creator omnium,
Rex terrae, rex coelorum
Fit frater hominum.

Si regis haec majestas,
Ubi sunt famuli? —
Aula, thronus, potestas
Et stratum lectuli?

Digitized by Google

Huc amor te vocavit
Humani generis,
Huc mei reclinavit
Te noxa sceleris.

Infantis hunc amorem
Omnes attendite,
Vos grates, et honorem
Coeli rependite!

Quid tantae charitati,
Quid Jesu deferam?
Ah! quid humanitati
Tuae nunc referam.

Pro stabulo me dedo,
Corpus pro stramine,
Cor pro praesepi cedo
Et pro solamine.

O Verbum incarnatum,
Rerum principium,
Prome humiliatum
Velut mancipium!

3) De sanctissimo Nomine Jesu.

Jesu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,

Digitized by Google

Sed super mel et omnia
Ejus dulcis praesentia.

Nil canitur suavius,
Auditur nil jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus, Dei filius.

Jesu, spes poenitentibus,
Quam pius te petentibus!
Quam bonus es quaerentibus!
Sed quid invenientibus?

Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium
Et omne desiderium.

Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit, Jesum diligere.

Jesu rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

Mane nobiscum, Domine,
Et nos illustra lumine,

Digitized by Google

Pulsa mentis caligine
Mundum replens dulcedine.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.

Amor Jesu dulcissimus,
Et vere suavissimus,
Plus millies gratissimus,
Quam dicere sufficimus.

Hoc probat ejus passio
Et sanguinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur et Dei visio.

Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Jesum ardenter quaerite,
Quaerendo inardescite!

Jesu, mi bone, sentiam
Amoris tui copiam,
Da mihi per praesentiam
Tuam videre gloriam. Amen.

Digitized by Google

4) De Epiphania Domini.

O sola magnarum urbium
Major Bethlem, cui contigit,
Ducem salutis coelitus
Incorporatum gignere!

Quem stella, quae solis rotam
Vincit decore et lumine,
Venisse terris nuntiat
Cum carne terrestri Deum.

Videre postquam illum Magi,
Eoa promunt munera,
Stratique votis offerunt
Thus, myrrham et aurum regium.

Regem Deumque annuntiant
Thesaurus et fragrans odor
Thuris Sabaei, ac Myrrheus
Pulvis sepulcrum praedocet.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui apparuisti gentibus,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

(Ex Breviario rom.)

Digitized by Google

5) De Passione D. N. Jesu Christi.

Vexilla Regis prodeunt:
Fulget Crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.

Impleta sunt, quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.

Beata cujus brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta corporis,
Tulitque praedam tartari.

O Crux, ave spes unica,
Hoc passionis tempore

Digitized by Google

Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

Te, fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis spiritus,
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

(Ex Breviario rom.)

Ecquis binas columbinas alas dabit animae,
Ut in almam crucis palmam evolet citissime:
In qua Jesus totus laesus, orbis desiderium,
Et immensus est suspensus, factus improperium?

O cor scande, Jesu pande charitatis viscera,
Et profunde me reconde intra sacra vulnera!
In superna me caverna colloca maceriae,
Hic mi fidum struens nidum finem da miseriae!

Digitized by Google

O mi Deus, amor meus, tune pro me pateris?
Pro non digno crucis ligno, Jesu mi, suffigeris?
Pro latrone, Jesu bone, tu in crucem tolleris?
Pro peccatis meis gratis vita mea moreris?

O insignis amor ignis, cor accende frigidum!
O divini vis camini, cor consume tepidum!
Fac me tecum permanere, fac me te diligere!
Da conjungi, da defungi, da me tecum vivere!

Per felices cicatrices precor et per sanguinem,
Necem trucem, perque crucem fac me tuum militem!
Dum hic certo in aperto, tuo cordi insere,
Ut columbam gemebundam petrae in foramine!

Digitized by Google

6) De resurrectione D. N. Jesu Christi.

Ite luctus, moesti fluctus
Lacrymarum cedite!
Plaudant poli; vosque soli
Regna plausus edite!
Quia revixit, sicut dixit,
Christus, nostra gloria!

Plaudant vales, plaudant calles,
Laeta plaudant flumina;
Sonent montes, saltent fontes,
Coeli plaudant lumina;
Quia de morte, effera sorte,
Parta est victoria.

Ore suaves cantent aves,
Laeta promant carmina;
Christus truce fixus cruce,
Nostra lavit crimina.
Est sine labe et sine tabe
Agnus datus victima.

Vicit fortis tella mortis,
Iram vicit tartari,
Fracti postes, stygis hostes,
Sunt devicti barbari.
Da pie Deus, redemptor meus,
Vivam tecum jugiter!

Digitized by Google

Novae laudes, novi plausus,
Nova fulsit gloria:
Christus factus redivivus,
Nova sonent cantica!

Sine labe, sine tabe
Datus Agnus victima,
Crucis alta fixus trabe,
Nostra lavit crimina.

Frendet orcus, rident coeli,
Laeti rident angeli,
Alba vestis fuit testis
Tam sereni gaudii.

Vicit fortis telum mortis,
Tumba prodit integra:
Ibi clarum nitet jubar
Ubi stabant vulnera.

Exultemus, jubilemus,
Coeli patent atria!
Fac, o Jesu, ut vivamus
In coelesti patria!

7) De ascensione Domini.

Aeterne rex altissime,
Redemptor et fidelium,

Digitized by Google

Cui mors perempta detulit
Summae triumphum gloriae!

Ascendis orbes siderum,
Quo te vocabat coelitus
Collata non humanitus
Rerum potestas omnium,

Ut trina rerum machina
Coelestium, terrestrium
Et inferorum condita
Flectat genu jam subdita.

Tremunt videntes Angeli
Versam vicem mortalium:
Peccat caro, mundat caro,
Regnat Deus Dei caro.

Sis ipse nostrum gaudium
Manens olympo praemium,
Mundi regis qui fabricam
Mundana vincens gaudia.

Hinc te precantes quaesumus,
Ignosce culpis omnibus
Et corda sursum subleva
Ad te superna gratia,

Ut cum repente coeperis
Clarere nube Judicis,

Digitized by Google

Poenas repellas debitas
Reddas coronas perditas.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui victor in coelum redis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

(Ex Breviario rom.)

8) De Spiritu Sancto.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora!

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus Paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Digitized by Google

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus, da, Patrem,
Noscamus atque Filium,
Te utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

(Ex Breviario rom.)

Veni, Sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium:
Veni, pater pauperum,
Veni, dator munerum,
Veni, lumen cordium!

Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium,
In labore requies,
In aestu temperis,
In fletu solatium!

Digitized by Google

O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium!
Sine tuo numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

Lava, quod est sordidum,
Riga, quod est aridum,
Sana, quod est saucium;
Flecte, quod est rigidum,
Fove, quod est frigidum,
Rege, quod est devium!

Da tuis fidelibus,
In te confitentibus
Sacrum septenarium;
Da virtutis meritum
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium! Amen.

(Ex Missali rom.)

9) De venerabili Sacramento.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium

Digitized by Google

Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium!

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum;
Etsi sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui,

Digitized by Google

O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium!
Sine tuo numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

Lava, quod est sordidum,
Riga, quod est aridum,
Sana, quod est saucium;
Flecte, quod est rigidum,
Fove, quod est frigidum,
Rege, quod est devium!

Da tuis fidelibus,
In te confitentibus
Sacrum septenarium;
Da virtutis meritum
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium! Amen.

(Ex Missali rom.)

9) De venerabili Sacramento.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium

Digitized by Google

Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium!

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum;
Etsi sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui,

Digitized by Google

Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori, Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

(Ex Breviario rom.)

Lauda Sion Salvatorem,
Lauda ducem et pastorem,
In hymnis et canticis!
Quantum potes, tantum aude,
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis,
Panis vivus et vitalis
Hodie proponitur,
Quem in sacrae mensa coenae
Turbae fratrum duodenae
Datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda, sit decora
Mentis jubilatio!

Digitized by Google

Dies enim celebratur,
In qua sacrae memoratur
Coenae institutio.

In hac mensa novi Regis
Novum Pascha novae legis
Phase vetus terminat.
Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

Quod in coena Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.
Docti sacris institutis,
Panem, vinum in salutis
Consecramus hostiam.

Dogma datur christianis,
Quod in Carnem transit panis
Et vinum in Sanguinem,
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides,
Praeter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus,
Signis tantum et non rebus,
Latent res eximiae:

Digitized by Google

Caro cibus, Sanguis potus,
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.

A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur;
Sumit unus, sumunt mile,
Quantum isti, tantum ille:
Nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inaequali
Vitae vel interitus;
Mors est malis, vita bonis;
Vide, paris sumptionis
Quam sit dispar exitus!

Fracto demum Sacramento
Ne vacilles, sed memento,
Tantum esse sub fragmento,
Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura,
Qua nec status, nec statura
Signati minuitur.

Digitized by Google

Ecce panis Angelorum,
Factus cibus viatorum,
Vere panis filiorum,
Non mittendus canibus!
In figuris praesignatur,
Cum Isaac immolatur,
Agnus Paschae deputatur,
Datur manna patribus.

Bone pastor, Panis vere,
Jesu, nostri miserere!
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos cuncta fac videre
In terra viventium!
Tu, qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales,
Tuos ibi commensales,
Cohaeredes et sodales
Fac sanctorum civium! Amen.

(Ex Missali rom.)

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas!
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia, te contemplans, totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.

Digitized by Google

Credo, quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas,
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto, quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor,
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere!

O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini,
Praesta meae menti, de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere!

Pie Pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere!

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud, quod tam sitio,
Ut, te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae! Amen.

(S. Thomae de Aquino.)

Digitized by Google

O Deus! ego amo te,
Nam prior tu amasti me!
En libertate privo me,
Ut sponte vinctus sequar te!

Nil suggerat memoria,
Nisi de tua gloria!
Nil intellectus sapiat,
Praeterquam, ut te capiat!

Protestor, nihil velle me,
Nisi, quod sciam, velle te!
Quae dono tuo mea sunt,
Haec dono meo tua sunt.

A te accepi, recipe!
Quod iis velis, praecipe!
Guberna, sicut scis et vis,
Nam scio, quod amator sis.

Amore solo dona me,
Ut ego quoque amem te,
Et vigil et per somnia;
Haec dando dabis omnia!

(S. Ignatii de Loyola.)

O Deus, ego amo te!
Nec amo te, ut salves me,

Digitized by Google

Aut quia non amantes te
Aeterno punis igne.
Tu, tu, mi Jesu, totum me
Amplexus es in cruce,
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores et angores,
Ac mortem; et haec propter me,
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem te,
O Jesu amantissime? —
Non, ut in coelo salves me,
Aut, ne aeternum damnes me,
Nec praemii ullius spe,
Sed sicut tu amasti me,
Sic amo et amabo te,
Solum, quia Rex meus es,
Et solum, quia Deus es!

(S. Francisci Xaverii.)

10) De Beata Maria Virgine.

Ave maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix coeli porta!

Digitized by Google

Sumens illud ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevae nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen caecis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce!

Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus!

Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos!

Vitam praesta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collaetemur!

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

(Ex Breviario rom.)

Digitized by Google

Stabat Mater dolorosa
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius;
Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem
Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quae moerebat, et dolebat
Pia Mater, dum videbat
Nati poenas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Christi Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suae gentis
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum;
Vidit suum dulcem Natum
Moriendo desolatum,
Dum emisit spiritum.

Digitized by Google

Eja Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam!
Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam! Amen.
(Ex Breviario rom.)

Omni die dic Mariae
Mea laudes anima,
Ejus festa, ejus gesta
Cole devotissima!

Contemplare et mirare
Ejus celsitudinem!
Dic felicem genitricem,
Dic beatam Virginem!

Ipsam cole, ut de mole
Criminum te liberet,
Hanc appella, ne procella
Vitiorum superet!

Haec persona nobis dona
Contulit coelestia,
Haec Regina nos divina
Illustravit gratia.

Digitized by Google

Lingua mea dic trophaea
Virginis puerperae,
Quae inflictum maledictum
Miro transfert germine!

Sine fine dic Reginae
Mundi laudum cantica,
Ejus bona semper sona,
Semper illa praedica!

Omnes mei sensus ei
Personate gloriam!
Frequentate tam beatae
Virginis memoriam!

Nullus certe tam disertae
Exstat eloquentiae,
Qui condignos promat hymnos
Ejus excellentiae.

O cunctarum feminarum
Decus atque gloria,
Quam electam et evectam
Scimus super omnia!

Clemens audi, tuae laudi
Quos instantes conspicis;
Munda reos et fac eos
Donis dignos coelicis!

Digitized by Google

Pro me pete, ut quiete
Sempiterna perfruar,
Ne tormentis comburentis
Stagni miser obruar!

Quod requiro, quod suspiro,
Mea sana vulnera,
Et da menti te poscenti
Gratiarum munera,

Ut sim castus et modestus,
Dulcis, blandus, sobrius,
Pius, rectus, circumspectus
Simultatis nescius;

Eruditus et munitus
Divinis eloquiis,
Timoratus et ornatus
Sacris exercitiis;

Constans, gravis atque suavis,
Benignus et amabilis,
Simplex, purus et maturus
Patiens et humilis;

Corde prudens, ore studens,
Veritatem dicere,
Malum nolens, Deum colens
Pio semper opere.

Digitized by Google

Esto tutrix et adjutrix
Christiani populi;
Pacem praesta, ne molesta
Nos perturbent saecula!

Tua dulci prece fulci
Supplices et refove!
Quidquid gravat vel depravat
Mentes nostras, remove!

Commendare me dignare
Christo tuo filio,
Ut non cadam, sed evadam
Mundi de naufragio!

Fac me mitem, pelle litem,
Compesce lasciviam,
Contra crimen da munimen
Et mentis constantiam!

Non me liget, nec fatiget
Saeculi cupiditas,
Quae indurat et obscurat
Mentes sibi subditas!

Nunquam ira, nunquam dira
Me vincat elatio,
Quae multorum fit malorum
Frequenter occasio!

Digitized by Google

Ora Deum, ut cor meum
Sua servet gratia,
Ne antiquus inimicus
Seminet zizania!

Da levamen et juvamen
Tuum illis jugiter,
Tua festa sive gesta
Qui colunt alacriter!

(S. Casimiri.)

11) Hymnus ss. Ambrosii et Augustini.

Te, Deum, laudamus; te, Dominum, confitemur!
Te aeternum Patrem omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli, tibi coeli et universae potestates,
Tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant:
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth!
Pleni sunt coeli et terra majestatis gloriae tuae.
Te gloriosus Apostolorum chorus,
Te Prophetarum laudabilis numerus,

Digitized by Google

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia,
Patrem immensae majestatis,
Venerandum tuum verum et unicum Filium,
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriae, Christe!
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna coelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris.
Judex crederis esse venturus.
Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti!
Aeterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari!
Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic haereditati tuae!
Et rege eos, et extolle illos usque in aeternum!
Per singulos dies benedicimus te,

Digitized by Google

Et laudamus nomen tuum in saeculum et in saeculum saeculi.
Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire!
Miserere nostri, Domine, miserere nostri!
Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te!
In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. Amen.

---

4. *Psalmi poenitentiales.*

Antiphona. Ne reminiscaris.

1.

Psalmus 6. Est pia poenitentis precatio.

Domine, ne in furore tuo arguas me, * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum, * sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde, * sed tu, Domine, usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam, * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Digitized by Google

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, * lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus, * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam, * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei, * convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, * sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

2.

Psalmus 31. Beatus, qui a peccato liber est.

Beati, quorum remissae sunt iniquitates, * et quorum tecta sunt peccata.

Digitized by Google

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, * nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, * dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, * conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci, * et injustitiam meam non abscondi.

Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, * et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus * in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum * ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me, * exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac, qua gradieris, * firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, * quibus non est intellectus.

In camo et fraeno maxillas eorum

Digitized by Google

constringe, * qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris, * sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino et exultate justi, * et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri etc.

3.

Psalmus 37. Describitur miseria peccatoris.

Domine, ne in furore tuo arguas me, * neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi, * et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae, * non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, * et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae * a facie insipientiae meae.

Miser factus sum et curvatus sum usque in finem, * tota die contristatus ingrediebar.

Digitized by Google

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, * et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis, * rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum, * et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, * et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei * adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt, * et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, * et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam, * et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum, sicut homo non audiens, * et non habens in ore suo redargutiones.

Digitized by Google

Quoniam in te, Domine, speravi, * tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei, * et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum,* et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, * et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, * et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, * quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus, * ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum, * Domine, Deus salutis meae.

Gloria Patri etc.

4.

Psalmus 50. Est pia Davidis poenitentis oratio.

Miserere mei Deus * secundum magnam misericordiam tuam.

Digitized by Google

Et secundum multitudinem miserationum tuarum * dele iniquitatem meam.

Amplius lava mea ab iniquitate mea * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, * ut justificeris in sermonibus tuis et vincas, cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti, * incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo et mundabor, * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, * et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem meam a peccatis meis, * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Digitized by Google

Ne projicias me a facie tua, * et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lactitiam salutaris tui, * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae, * et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies, * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam, si voluisses sacrificium, dedissem utique; * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus, * cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, * ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta, * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri etc.

Digitized by Google

5.

Psalmus 101. Oratio est ad avertenda peccati mala.

Domine, exaudi orationem meam, * et clamor meus ad te veniat.

Ne avertas faciem tuam a me, * in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te, * velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei, * et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum, * quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei * adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pellicano solitudinis, * factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi, * et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei, * et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Digitized by Google

Quia cinerem tanquam panem manducabam, * et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis tuae, * quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt, * et ego sicut foenum arui.

Tu autem, Domine, in aeternum permanes, * et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exurgens misereberis Sion, * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quia placuerunt servis tuis lapides ejus, * et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, * et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion, * et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium, * et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera, * et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo, * Dominus de coelo in terram aspexit.

Digitized by Google

Ut audiret gemitus compeditorum, * ut solveret filios interemptorum:

Ut annuntient in Sion nomen Domini, * et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum, * et reges, ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae: * Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum * in generationem et generationem anni tui.

Initio tu, Domine, terram fundasti, * et opera manuum tuarum sunt coeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes, * et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut operatorium mutabis eos et mutabuntur, * tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt, * et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria Patri etc.

6.

Psalmus 129. Impetratio veniae.

De profundis clamavi ad te, Domine, * Domine, exaudi vocem meam.

Digitized by Google

Quia cinerem tanquam panem manducabam, * et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis tuae, * quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt, * et ego sicut foenum arui.

Tu autem, Domine, in aeternum permanes, * et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exurgens misereberis Sion, * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quia placuerunt servis tuis lapides ejus, * et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, * et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion, * et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium, * et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera, * et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo, * Dominus de coelo in terram aspexit.

Digitized by Google

Ut audiret gemitus compeditorum, * ut solveret filios intcremptorum:

Ut annuntient in Sion nomen Domini, * et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum, * et reges, ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae: * Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum * in generationem et generationem anni tui.

Initio tu, Domine, terram fundasti, * et opera manuum tuarum sunt coeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes,* et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut operatorium mutabis eos et mutabuntur, * tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt, * et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria Patri etc.

6.

Psalmus 129. Impetratio veniae.

De profundis clamavi ad te, Domine, * Domine, exaudi vocem meam.

Digitized by Google

Fiant aures tuae intendentes * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine, * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus, * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri etc.

7.

Psalmus 142. Poenitens a via peccat optat reduci.

Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, * exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo, * quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Digitized by Google

Quia persecutus est inimicus animam meam, * humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris, sicut mortuos saeculi, * et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, * in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te, * anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine, * defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me, * et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, * quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem, * quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi, * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, * propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in aequitate tua.

Digitized by Google

Educes de tribulatione animam meam, * et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, * quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri etc.

Antiphona. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

---

5. *Congregationes B. Mariae Virginis.*[1])

1) Historia.

Congregationes B. Mariae V. ab Joanne Leonio, S. J., grammatices praeceptore in Collegio romano Romae, qui singulis Dominicis et diebus festivis discipulorum suorum maxime ingenuos collegit, eosdem ad B. Mariae V. ardentem venerationem, virtutum imitationem et ad plenum ejusdem usu S. Sacramentorum servitium cohortans, ducunt originem. Qui conventus, aliis etiam discipulis mox associatis, brevi se con-

---

[1]) Vide: Indulgentiarum essentia et usus a R. P. Maurel, S. J. Padabornae, 1863.

Digitized by Google

solidabant et in Collegio romano vera pietatis virtutisque schola fiebant. Instantibus adm. R. P. Claudii Aquavivae, Soc. Jesu Generalis, precibus a Gregorio P. P. XIII., glor. mem., Bulla: „Omnipotentis Dei" d. d. 5. Dec. 1584 isti conventus approbati et sub titulo Annuntiationis B. Mariae V. ad Congregationem evecti sunt. Unacum indulgentiarum concessione et venia Generali Soc. Jesu, aliis in Collegiis ab eo dependentibus tales Congregationes erigendi easque Congregationi primariae Romae in Collegio romano incorporandi, data est. Gratias et privilegia a Gregorio P. P. XIII. discipulorum Congregationibus concessa nonnullis annis postea Sixtus P. P. V. et deinde Clemens P. P. VIII. et Gregorius P. P. XV. ad alias omnes fidelium Congregationes, quae in ecclesiis, domibus aut seminariis Soc. Jesu constituerentur, extenderunt.

Benedictus XIV. Bulla aurea: „Gloriosae Dominae" d. d. 27. Sept. 1748 gratiis, quibus antecessores sui Congregationes donaverant, novas addidit simulque iis honestissimam ac splendidissimam laudem tribuit: „Paene incredibiles," magnus inquit iste Papa, „sunt fructus, qui ex hac pia et laudabili institutione omnium conditionum

Digitized by Google

fidelibus provenerunt," quos deinceps singulos enumerat.

Tandem, Societate Jesu anno 1814 a Pio P. P. VII., aetern. mem., denuo restituta, Leo P. P. XII. Brevi d. d. 17. Maji 1824 jura antiqua, quae sedes apostolica ei circa Congregationes marianas concesserat, eidem reddere ipsisque Congregationibus pristina praerogativa confirmare voluit. Imo in benignitate sua longius adhuc progrediens, speciali rescripto d. d. 7. Martii 1825 R. P. Generali Soc. Jesu, et alias omnes Congregationes virorum, mulierum, juvenum, virginum ubique canonice institutas patrumque ordinis sui directioni commissas vel non commissas Congregationi romanae seu „Primae — Primariae" incorporandi atque indulgentiarum et praerogativorum participes faciendi, veniam dedit. Tam magni Vicarii Jesu Christi hoc vere christianum foedus ad fidem pietatemque firmandam et augendam, ad emendandos tuendosque bonos mores pependerunt. Insuper beatissima Virgo ipsa semper et ubique innumerabiliter, saepe etiam praesidio suo mirabili, probavit, quam carae et gratae sibi sint hae Congregationes. Bonum autem, quod Congregationes in educandae juventutis institutis praestant, omnino patet.

Digitized by Google

2) Commoda.[1])

S. Bernardinus in Congregationes merito transfert, quae s. Bernardus dicit de domibus regularium:

1) „Homo puriorem in iisdem agit vitam;“

2) „Rarius incidit in peccatum;“

3) „Si cadit, attamen minus profunde cadit;“

4) „Facilius surgit;“

5) „Majore procedit cautela;“

6) „Tutius quiescit;“

7) „Uberiores in eum defluunt gratiae coelique favores;“

8) „Satisfactionem Deo facilius praestat, certiusque effugit purgatorium;“

9) „Majore moritur confidentia et tranquilitate;“

10) „Pretiosiorem tandem in coelo adipiscitur coronam.“

„Haec quasi decalogus decemque emolumenta sunt, quae Congregatio praebet omnibus, qui fideliter impleunt, quae sacros hos ingredientes conventus sunt promissi.“

---

[1]) Vide: Indulgentiarum essentia et usus a R. P. Maurel, S. J. Padabornae, 1863.

Digitized by Google

Haec omnia effulgent ex operibus, quae servi Mariae fideles in Congregationibus edunt. In istis namque societatibus Dei mandata fideliter servare, christiano vivere modo pieque mori, necessariis ad salutem bene uti remediis, atque parvis servitiis beatissimae Virginis benevolentiam promereri Sodales ediscunt, ut eo inscribantur in libro vitae. Inibi, se invicem in morbis adjuvare, in adversis consolari, omnia spiritualis et corporalis misericordiae opera exercere assuescuntur. Inibi se fulciunt precibus communibus, ex pia lectione et concionibus salutaribus hauriunt doctrinam coelestem, hisque excitati suam ipsorum et vitam suorum principiis supernaturalibus accommodare conantur.

In Congregationibus cum multis praestantia et virtute insignibus personis initur conjunctio. Sodales in amore vere fraterno unum cor et unam constituunt animam; fortiores adjuvant debiliores atque omnes bona sunt in spe, sub materno B. Mariae V. praesidio se coelestia ingressuros esse domicilia, quae omnibus ejusdem aperta sunt filiis. Re quoque vera Sodalis congregationis perfectus nunquam peribit.

Congregationes administrantur a Praeside clerico, Praefecto, cum Assi-

Digitized by Google

stentibus, Secretario aliisque dignitariis. Ad successum vero Congregationum, ad stabilitatem institutionis vel ad indulgentias lucrandas creatio et designatio dignitariorum nequaquam essentialis est conditio. Experientia autem trium fere saeculorum sapientiam testatur regularum, quae in plurimis Congregationum libellis inveniuntur. Sequuntur hic:

3) Leges Congregationum B. Mariae V.,

quae in Collegiis Societatis Jesu institutae atque a Sede Apostolica approbatae, variis indulgentiis et gratiis exornatae sunt, ex romana exemplari paucis comprehensae cum consuetudinibus tertiae Congregationis seu angelicae Sodalitatis.

1) Cum B. V. Dei Mater, angelorum Regina, hujus Congregationis Patrona, illam defendere ac fovere existimanda sit, quippe misericordiae mater, quae se diligentes diligat, et ad eam pie ac religiose confugientes tueatur ac proteget; propterea par est in primis, ut ejusdem Sodales non modo illam praecipua veneratione atque honore prosequantur, verum etiam vitae morumque integritate virtutum illius praestantissimarum exempla imitari conentur, atque ut saepius inter se agentes se ad ejus amorem et cultum studeant impellere.

Digitized by Google

2) Sodalitatem administrabit unus e Societate Jesu (vel alius sacerdos regularis sive saecularis), et Praefectus ipsius Congregationis cum duobus Assistentibus, Secretario uno et duodecim, ubi numerosa est sodalitas, vel sex, ubi fuerint pauciores, Consultoribus, quorum erit officium, Praefecto in consultationibus et in administranda sodalitate praesto esse, quibus omnes debitum honorem et in rebus ad sodalitatem pertinentibus obedientiam exhibere debebunt.

3) Quoniam hujus Congregationis finis est virtus et in literarum studiis progressio, ad quem finem assequendum Sacramentorum frequentia perutilis est, ideo quicunque dare nomina sodalitati voluerint, confitebuntur octavo quoque die ordinario Confessario suo, qui absque facultate mutari non debet, sacram vero Eucharistiam percipient die Paschae, Pentecostes, Assumptionis Deiparae V. M., s. Michaelis archangeli, Natalis Domini et in admissione ad hanc sodalitatem; aetate vero provectiores

Digitized by Google

etiam saepius, sed nunquam, nisi de expressa Confessarii sui sententia.

4) Dabunt operam, ut parentibus et praeceptoribus integram praestent obedientiam; condiscipulis diligentia et pietate, domesticis innocentia et modestia, omnibusque virtute praeluceant, ut beata Virgo et ss. Angeli perpetui tutores esse dignentur.

5) Conventum celebrabunt diebus Dominicis, in quo pia habebitur exhortatio vel lectio; ab hoc sine licentia illius, qui praeest, nemo abesse poterit, aut si contra fecerit vel in alias hujus sodalitatis leges peccaverit, libens poenitentiam subibit. Initio conventus recitabitur: „Veni Creator Spiritus“ cum Antiph. Vers. et Orat. et in fine aliqua Antiph. de B. Maria V. pro temporum varietate.

6) Tempestive mane surgent ac inter induendum memores erunt honestatis propter Dei aspectum et Angelorum praesentiam, maxime si alii homines praesto sint.

7) Induti ac loti, flexis genibus et manibus junctis, Deo pro acceptis bene-

Digitized by Google

ficiis gratias agent ante domesticum Altare sive sacras imagines, quas in suis cubiculis habere debent. Deinde praeter alias preces orabunt ter orationem Dominicam et salutationem angelicam, Symbolum Apostolorum et Salve Regina.

8) Absoluta oratione ad studia se conferent, in quibus modum a praeceptore praescriptum accurate servabunt. Ab impurorum vero, haereticorum, magicorum librorum lectione non minus, quam a veneno, abstinebunt.

9) Non tantum Parentibus, Praeceptoribus, Dominis suis, sed quibuscunque sacerdotibus, religiosis, primariis viris debitum honorem quovis in loco exhibeant.

10) Quotidie sacrificium Missae religiose audiant et in eo praeter alias precationes et Rosarium, (quod semper secum gestare debent,) persolvant. In suis autem precibus non tantum orent pro parentibus, amicis, praeceptoribus et benefactoribus, sed etiam pro fidelibus defunctis.

11) Quia „initium sapientiae est timor Domini," ut eam consequantur,

Digitized by Google

hunc arcte teneant. Pertimescant proinde divinum numen offendere mendaciis, convitiis, rixis, juramentis, pugnis, furtis, lascivia, otio, studiorum negligentia, morositate, inobedientia, loquacitate, et aliis peccatis male moratae juventuti familiaribus, quae ut effugiant, pravorum illis consortia ut pestis fugienda.

12) Ut Deus et sancti Angeli nos ad omne bonum instigant atque a malis abducunt, ita et ipsi, velut angelici Sodales, alios ad sacram confessionem, conscientiae examinationem, matutinam et vespertinam orationem ac omnem virtutem conabuntur traducere, hortabuntur etiam eos, qui nequiter agunt, ut abstineant.

13) Ad nomen Jesu et Mariae reverentiam exhibeant.

14) Discant modum inserviendi Missae sacrificio, orandi, confitendi, communicandi, caeteraquae christianae religionis opera exercendi.

15) Habeant in suis cubiculis aquam lustralem, qua se aspergant.

16) Vesperi, antequam se quieti tradant, conscientiam suam breviter

Digitized by Google

examinabunt. Deinde praeter alias orationes ter „Pater noster et Ave Maria“ ac semel Psal. „De profundis“ cum oratione pro fidelibus defunctis orabunt.

17) Cum e Sodalibus aliquis aegrotaverit, eum, nisi quid impediat, tum Praefectus invisendum et sanctis ecclesiae sacramentis muniendum curabit, tum omnes Domino suis precibus commendabunt. Quod si contigerit e vita discedere Sodalem, illius funus ad sepulturam prosequentur. Deinde pro eo audient tria sacra et dicent tria Rosaria et per octo dies Psal. „De profundis“ cum oratione pro defunctis.

18) Dominicis minimum ac festis diebus pii alicujus libelli lectioni aliquod tempus tribuent. Quo autem facilius hae leges observentur, eas non modo quisque apud se domi habeat et subinde legat, sed quoties Praefectus novus ac reliqui Officiales deligentur, publice in Congregatione recitabuntur. Conabuntur demum omnes illis parere quam diligentissime. Praeter has autem leges, consuetudines quisque suae sodalitatis pro viribus observet. —

Digitized by Google

4) Indulgentiae [1])

„Primae-Primariae" Romae concessae, quibus omnes Congregationes incorporatae participant, sequentes sunt:

a) Indulgentiae plenariae lucrandae:

1) Die receptionis, praemissa s. Confessione et ss. Communione.

2) Per singulas hebdomades semel die conventus Congregationis, cum sumptis ss. sacramentis ecclesiam vel sacellum Congregationis visitent, ibique ad mentem sanctissimi Patris precentur. Conventu post meridiem facto indulgentiam lucrari possunt, siquidem ejusdem diei mane aut die sequenti Sodales s. Communione recreati fuerint.

3) Die festivo Congregationis primario et secundario, imo etiam, si haec ambo festa annuente Episcopo in alium diem essent translata. Quae ambae indulgentiae duobus festis tutelaribus Congregationis annexae ab omnibus fidelibus, quamvis non sint Sodales Congregationis, impetrari possunt, dummodo consuetis conditionibus: s. Confessionis, ss. Communionis, visitationis sacelli Congregationis et precum juxta ss. Patris mentem stent.

4) Semel vel bis per annum die ss. Communionis confessionem generalem

[1]) Vide: Indulgentiarum essentia et usus a R. P. Maurel, S. J. Padabornae, 1863.

Digitized by Google

sequentis (confessio generalis sive totam vitam comprehendat sive tempus ab ultima confessione generali).

5) Diebus festivis: Nativitatis Domini, Ascensionis Christi, B. Mariae V. Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis immaculatae sub conditionibus commemoratis.

6) In articulo mortis.

7) Die ss. Communionis gravi laborantes morbo. Quam indulgentiam venia ab Episcopo semel accepta aegrotis Sodalibus Praeses impertit. Brevi et pia exhortatione ad aegrotum praemissa curat Praeses coram imagine Crucifixi eum orare ter „Pater noster et Ave Maria". Indulgentia toties impetrari potest, quoties aegroto ss. Communio suppeditatur.

b) Indulgentias particulares Sodalis lucratur:

1) indulgentiam 7 annorum, funus ad sepulturam prosequens;

2) eandem, orans pro quodam existente in mortis agone vel ad signum in exspiratione cujusdam campana datum;

3) eandem, pium aliquem conventum, sacra vel concionem frequentans;

4) eandem, die feriato s. Missam audiens;

5) eandem, conscientiam vesperi examinans;

Digitized by Google

6) eandem, pauperes, infirmos qualescunque vel incarceratos visitans;

7) eandem, dissidentes concilians.

His accedunt indulgentiae stationum Romae, quas Sodales lucrari queunt, diebus pro iisdem assignatis ecclesiam vel sacellum Congregationis vel aliam ecclesiam visitantes ibique 7 „Pater noster et Ave Maria" orantes.

Altare Congregationis jure privilegiatum est i. e. cum omnibus s. Missis, quae super eo ab aliquo sacerdote pro defunctis celebrantur, indulgentia plenaria conjuncta est. Sacerdotibus, qui Congregationi ipsi adscripti sunt, hoc privilegium personale est, ubicunque pro defunctis Sodalibus s. Missam celebrent.

Plures gratiae pro Sodalibus beatissimae Virginis annotatae sunt in folio, quod ingressionis documento adjunctum est.

5) Quaedam annotationes.

a) Receptionis modus in regulis Congregationis cujusque significatus est.

b) Sodales Congregationis, qui ab institutis, Lyceis vel Gymnasiis, aut Parochiis suis abeunt, socii Congregationis esse non desinunt. Semper igitur et ubique indulgentias possunt lucrari, dummodo conditiones praescriptas expleant, quam ad rem pro sacello Congregationis ecclesia loci, ubi degunt, deservire potest.

Digitized by Google

c) Ad prosequendam incorporationem in „Primam-Primariam" haec via est: Primo Congregatio incorporanda canonice instituta h. e. ab Episcopo agnita et approbata esse debet. Deinde R. P. Generali Soc. Jesu vel ejusdem Secretario hac de re est adscribendum. Adscriptio petitoria eos, qui Congregationem constituunt, accuratius notare debet v. g. utrum personae utriusque sexus, an soli viri, mulieres, juvenes, virgines sint; porro titulum et festum titulare Congregationis, nam strenue praescriptum est, Congregationem titulo vel mysterio quodam B. Mariae V. esse consecratam, qua in re tamen patronum vel titulum secundarium habere potest Congregatio sicuti v. g. ss. Angelos, beatum Josephum, s. Aloysium de Gonzaga, s. Annam etc. Tandem sacellum vel ecclesia, urbs et Dioecesis, ubi Congregatio est instituta, annotanda sunt.

Indicem indulgentiarum et privilegiorum a Roma acceptum in sermonem germanicum converti et in sacello Congregationis affigi proderit. —

6) Exercitia pia Congregationum.

a) Formula admissionis pro Sodalibus angelicis.

Sancta Maria, Mater Dei et Virgo, vosque, o sancti et beati Spiritus, in

Digitized by Google

patronos et advocatos meos eligo, ac constanter propono, me nunquam vos derelicturum nec contra vestrum honorem aliquid commissurum. Obsecro igitur, suscipite me clientellum et servulum vestrum, adsitis mihi in studiis ac omnibus actionibus meis et in hora mortis subsidio veniatis. Amen.

b) Formula admissionis pro Sodalibus marianis.

Sancta Maria, Mater Dei et Virgo, ego N. te hodie in Dominam, Patronam et Advocatam eligo firmiterque statuo ac propono, me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum aut facturum, neque permissurum, ut a meis subditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in servum perpetuum, adsis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deseras in hora mortis. Amen.

c) Orationes, dicendae in initio Conventus.

Hymnus: „Veni Creator Spiritus etc.“ ut supra pag. 378.

Digitized by Google

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur, (Alleluja.)

℟. Et renovabis faciem terrae. (Alleluja.)

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de ejus consolatione semper gaudere. Per Christum, Dominum nostrum. Amen.

d) Orationes, dicendae in fine Conventus.

Una ex quatuor Antiphonis marianis pro diversitate temporum diversis cum oratione conveniente conjuncta, uti annotatae sunt a pag. 279 usque ad pag. 283. Cujus in fine signa te signo crucis et dic:

„Divinum auxilium maneat semper nobiscum! Amen.“

e) Pro Sodalibus defunctis.

Psalmus 129. pag. 362.
Cujus in fine:

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine,

℟. Et lux perpetua luceat eis.

Digitized by Google

Oremus.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Christum, Dominum nostrum. Amen.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine,

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

f) Oratio pro sodalitate et quacunque familia.

Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto cordi tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis per Chr. D. N. Amen.

O. A. M. D. G.

Digitized by Google

Index.

Pag.

Praefatio R. P. Dirckinck ad adolescentem studiosum IX

I. SECTIO INSTRUCTIVA.

A. Horologium diuturnum decentiae, modestiae et urbanitatis.

I. Regulae generales 17
II. Regulae speciales 18
a) Regulae conversationis 18
b) Regulae pro schola 20
c) Regulae ingressus per plateas . . 22
d) Regulae recreationis et lusus . . 23
e) Regulae ad mensam 24

B. Horologium quotidianum pietatis et studii.

Ordo diei diversis methodis studendi pertextus 27

C. Horologium festivum religionis.

Ordo diei diversis religionis praxibus pertextus 50

D. Horologium philosophicum.

Praefationis instar monita quaedam pro philosophis 64
Monitum I. 64
Monitum II. 65
Monitum III. 65
Monitum IV. 67
Ordo diei quibusdam pertextus notatis . . 67

Appendix de eligendo vitae statu.

1) Praemonitiones 73
2) Instructio pro ipsa status electione . . 75
3) Matrimonii commoda et incommoda . . 76
4) Status clericalis commoda et incommoda . 77
5) Status religiosi commoda et incommoda . 78
6) Regulae bonae electionis 79
Objectio 81

Digitized by Google

Pag.

II. SECTIO PRECATIVA.

Anticipatio

1) de praxi, pie et attende orandi . . . 87
2) de praxi meditandi 91

I. Preces usitatissimae.

1) Oratio Dominica 96
2) Salutatio angelica 96
3) Symbolum Apostolicum 96
4) Ad signum salutationis angelicae matutinum, meridianum et vespertinum . . 97
5) Alia praxis orandi ad trinum pulsum . 98
6) Feria quinta ad signum memoriae Agoniae Christi 99
7) Feria sexta ad signum in memoriam mortis Christi 101
8) Ante scholam, lectionem vel concionem . 102
9) Post scholam, lectionem et concionem . 103
10) Ante quodvis opus in particulari . . 103
11) Post opus factum 103
12) Ad horae sonum 104
13) Salve Regina 104
14) Oratio s. Bernardi ad B. V. Mariam . 105
15) Salutatio christianorum 106
16) Responsoria pro fidelibus defunctis . . 106
17) Oratiunculae jaculatoriae 106

II. Preces quotidianae.

A. Preces matutinae.
Dum evigilas; dum surgis, dum vestes induis etc. 108
a) Preces matutinae speciales . . . 110
b) Intentiones quaedam generales . . 114
c) Intentiones particulares pro singulis hebdomadae diebus 117

B. Preces ante et post mensam.
1) Benedictio mensae ante prandium . 120
2) Gratiarum actio post prandium . . 121
3) Benedictio mensae ante coenam . . 123
4) Gratiarum actio post coenam . . 124

C. Preces vespertinae 124

Digitized by Google

Pag.

III. Preces festivae.

A. Sacra antemeridiana.

1) Septem meditationes pro VII. hebdomadis diebus 135
2) Ss. Missae sacrificium 149
a) Praxis orandi inter ss. Missam . . 152
b) Praxis meditandi inter ss. Missam . 177
c) Praxis ministrandi ad ss. Missam . 180
3) Concio vel exhortatio 193
4) S. Poenitentiae Sacramentum . . . 194
a) Praxis praeparandi se ad confessionem 194
b) Catalogus peccatorum 195
c) Orationes poenitentiales ante confessionem 202
d) Praxis singularis se praeparandi ad confessionem 207
e) Septem fontes seu motiva contritionis . 212
f) Praxis confessionis 214
g) Gratiarum actio post confessionem . 216
h) Alia praeclara gratiarum actio . . 217
i) Methodus exstirpandi vitia, et inserendi virtutes per examen particulare . . 220
k) Septem media vincendi tentationes carnales, velut totidem clypei contra tela nequissimi ignea 224
5) Sacra Communio 227
a) Praxis pie communicandi . . . 227
b) Pridie Communionis 227
c) Ipso die Communionis 228
d) Preces ante s. Communionem . . 229
e) Exercitium singularis devotionis . . 234
f) Servanda sub ipsa Communione . . 242
g) Agenda post Communionem . . . 243
h) Preces post Communionem . . . 247
i) Affectus pii, die Communionis usurpandi 262
6) Catechismus 263

B. Sacra pomeridiana.

De lectione spirituali 266
1. Preces convenientes 267
a) Vesperae dominicales 267

Digitized by Google

		Pag.
	b) Antiphonae de B. V. Maria . . .	279
	c) Praxis orandi Rosarium . . .	283
	d) Modus singularis colendi B. V. Mariam	288
	e) Modus singularis colendi s. Angelum custodem, vel alium Patronum . . .	296
	f) Praxis colendi Patronum menstruum .	302
	g) Praxis decendialis pietatis erga Christum crucifixum et s. Franciscum Xaverium	307
	h) Modus singularis, juvandi animas in purgatorio	311
2.	Litaniae	317
	1) Litaniae Lauretanae B. Mariae Virginis	317
	2) Litaniae Sanctorum omnium. . .	320
	3) Litaniae sanctissimi Nominis Jesu .	332
	4) Litaniae sanctissimae Trinitatis . .	339
	5) Litaniae vitae et passionis Jesu Christi	343
	6) Litaniae de sanctissimo Sacramento .	350
	7) Litaniae pro fidelibus defunctis . .	355
3.	Hymni	365
	1) De adventu Domini	365
	2) De nativitate D. N. Jesu Christi . .	366
	3) De sanctissimo Nomine Jesu . .	369
	4) De Epiphania Domini	371
	5) De Passione D. N. Jesu Christi . .	372
	6) De resurrectione D. N. Jesu Christi .	375
	7) De ascensione Domini	377
	8) De Spiritu Sancto	378
	9) De venerabili Sacramento . . .	381
	10) De Beata Maria Virgine . . .	389
	11) Hymnus ss. Ambrosii et Augustini .	395
4.	Psalmi poenitentiales	397
5.	Congregationes B. Mariae Virginis . .	411
	1) Historia	411
	2) Commoda	413
	3) Leges Congregationum B. Mariae V. .	416
	4) Indulgentiae	422
	5) Quaedam annotationes	424
	6) Exercitia pia Congregationum . .	425

Digitized by Google

Im Verlage von G. J. Manz in Regensburg ist erschienen und durch alle Buchhandlungen zu beziehen:

Kleine religiöse Bibliothek in Miniaturausgaben.

(Fortsetzung.)

Stelzig, Missionsbüchl. f. Jungfrauen. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
— Missionsbüchl. f. Jünglinge. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
Stöger, Maria auf d. Himmelsthrone. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
Tagzeiten, vier, z. Ehren d. s. J. Maria. 6 kr. od. 2 sgr.
Tauler, Nachfolge d. a. Lebens J. Christi. 30 kr. od. 10 sgr.
Theodor v. Almeida, Seufzer. 18 kr. od. 6 sgr.
Theologie, seraph., d. h. Bonaventura. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
Thomas v. Aquin, Himmelsleiter. 15 kr. od. 5 sgr.
— Engel der Schule. 30 kr. od. 10 sgr.
— d. apostol. Glaubensbekenntniß. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
— expositio symboli apostolorum. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
Valuy, d. klösterlichen Tugenden. 27 kr. od. 9 sgr.
Verehrung der h. 14 Nothhelfer. 12 kr. od. 3 3/4 sgr.
Wahrheiten, 100, üb. Pflichten d. geistl. Leb. 6 kr. od. 2 sgr.

Fr. Hoffmann,

manuale precum,

seu varia pia exercitia, complectens pias preces, meditationes hymnosque sacros. Ad usum piorum sacerdotum saecularium ac regularium nec non juventutis litterarum studiosae. 32. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.

B. ALBERTI MAGNI,

paradisus animae sive libellus de virtutibus.

Edidit, praefatus est, et clero Ratisbonensi dicav. **J. M. Sailer**, episcopus &c. Cum Appendice s. Alberti Magni de sacro Christi corporis et sanguinis sacramento tract. XXXII. Ed. nova. 12. 42 kr. od. 13 1/2 sgr.

D. A. AUGUSTINI,

confessionum libri XIII.

Editio nova, denuo recognita, locis sacrae scripturae, quos S. Augustinus textui inseruit, adaucta atque usui omnium accommodata. 12. 54 kr. od. 18 sgr.

Digitized by Google

Kleine religiöse Bibliothek in Miniaturausgaben.

R. P. JOANNIS DIRCKINK S. J.

HOROLOGIUM RELIGIOSUM AUREUM.

Im Verlage von G. J. Manz in Regensburg sind von dieser „Bibliothek" erschienen:

Abelly, Krone d. chr. Jahres. 2 Bde. 1 fl. 36 kr. od. 1 Thlr.
St. Aloysius, Gebetbuch. 15 kr. od. 5 sgr.
Augustinus, des heil., Betrachtungen. 36 kr. od. 11 1/4 sgr.
— Bekenntnisse. 40 kr. od. 12 1/2 sgr.
Besuchungen d. h. Altarssakraments. 15 kr. od. 4 1/2 sgr.
Blosius, Trost f. Kleinmüthige. 18 kr. od. 6 sgr.
Bonaventura, Psalmen zu Ehren Mariens. 3 kr. od. 1 sgr.
Cansinus, der christliche Tag. 18 kr. od. 6 sgr.
Challoner, Betrachtungen. 2 Bdchen. 1 fl. 36 kr. od. 1 Thlr.
Crasset, Anleit. z. betracht. Gebete. 18 kr. od. 6 sgr.
— Betracht. üb. d. bittere Leiden J. Chr. 18 kr. od. 6 sgr.
Christ, der, auf Golgatha. Gebetbuch. 15 kr. od. 5 sgr.
Friedrich, Gebetb. z. V. d. h. M. Anna. 30 kr. od. 10 sgr.
Führer christlicher Seelen. 18 kr. od. 6 sgr.
Garzia, Andacht zum heil. Joseph. 18 kr. od. 5 1/2 sgr.
Gebetbüchlein f. Hirtenkinder. 6 kr. od. 2 sgr.
Geist d. heil. Philippus Nerius. 21 kr. od. 7 sgr.
Granada, Betracht. üb. d. Gebet d. Herrn. 9 kr. od. 3 sgr.
Gron, Jesus und Maria. 2 Thle. 1 fl. 21 kr. od. 24 sgr.
— die Wissenschaft des Kreuzes. 2 Thle. 39 kr. od. 12 sgr.
— Denksprüche. 30 kr. od. 10 sgr.
— geistl. Einsamkeit. 27 kr. od. 9 sgr.
— d. Kennzeichen d. wahren Frömmigkeit. 18 kr. od. 6 sgr.
— Heiligung des Christen. 12 kr. od. 4 sgr.
— christliche Lebensregeln. 54 kr. od. 18 sgr.
Hamacher, Armatura Dei. 42 kr. od. 13 1/2 sgr.
— das Kirchlein. Gebetbüchlein. 30 kr. od. 10 sgr.
Hausen, d. Heiligkeit d. Priesters. 36 kr. od. 11 1/4 sgr.

Digitized by Google

Heiligung des Priesters. 48 kr. od. 15 sgr.
Himmelsbahn, die, 3täg. Exercitien. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
P. Joseph, d. Liebe Jesu zu d. Menschen. 15 kr. od. 5 sgr.
H. Katharina v. G., Abh. v. Fegf. 4 1/2 kr. od. 1 1/2 sgr.
Ignatius, geistl. Grundlehren. 15 kr. od. 5 sgr.
Kempis' Nachfolge. Lateinisch u. Deutsch. 30 kr. od. 10 sgr.
— dasselbe. Lateinisch. 18 kr. od. 6 1/4 sgr.
— dasselbe. Deutsch. 12 kr. od. 3 3/4 sgr.
Lehr- u. Andachtsb. f. Seminaristen. 27 kr. od. 8 3/4 sgr.
Leonardo da P. Maurizio, h. Handb. 36 kr. od. 11 1/4 sgr.
— Andacht z. h. Sakramente. 18 kr. od. 6 sgr.
— Anleitung zur Generalbeicht. 18 kr. od. 6 sgr.
— Unterricht über d. h. Messe. 15 kr. od. 5 sgr.
— Weg zum Himmel. 30 kr. od. 10 sgr.
Liguori, Besuchungen. 18 kr. od. 5 1/2 sgr.
— das Gebet. 18 kr. od. 5 1/2 sgr.
— Uebung d. Liebe z. Jesus Christus. 30 kr. od. 10 sgr.
— Leidensstunden U. H. J. Christi. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
— Vademecum f. fromme Priester. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
— Verehrung d. heil. Theresia. 18 kr. od. 5 1/2 sgr.
Nachfolge der allersel. Jungfr. Maria. 27 kr. od. 8 3/4 sgr.
Nachfolge des heil. Joseph. 18 kr. od. 6 sgr.
Offizium Mariä. 12 kr. od. 4 sgr.
Offizium für die Abgestorbenen. 12 kr. od. 4 sgr.
Pagani, And. z. allerheil. Altarssacr. 15 kr. od. 5 sgr.
Palast der göttlichen Liebe. 12 kr. od. 3 3/4 sgr.
Pinamonti, geistl. Ueb. d. h. Ignatius. 36 kr. od. 11 1/4 sgr.
— das zerknirschte Herz. 15 kr. od. 5 sgr.
— die Stellung der Reichen. 18 kr. od. 6 sgr.
— der untrügliche Spiegel. 18 kr. od. 6 sgr.
— der Weg zum Himmel. 21 kr. od. 7 sgr.
— der Führer der Seelen. 2 Bdchen. 48 kr. od. 15 sgr.
— das heilige Herz Mariä. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
Roothan, geistl. Betrachtung zu verrichten. 15 kr. od. 5 sgr.
Sales, kleine Philothea v. Buchfelner. 12 kr. od. 4 sgr.
Scupoli, der geistliche Kampf. 30 kr. od. 10 sgr.
de Ségur, Jesus Christus. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
Segneri, Andacht z. s. J. Maria. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
— Ausleg. d. Magnificat. 9 kr. od. 3 sgr.
— Gebetfrüchte. 12 kr. od. 4 sgr.
— Erklär. d. Psalmes Miserere. 30 kr. od. 10 1/2 sgr.
Stelzig, Missionsbüchl. f. Hausmütter. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.
— Missionsbüchl. f. Hausväter. 24 kr. od. 7 1/2 sgr.

(Fortsetzung folgt am Ende des Werkes.)

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google